AUTHOR:

FOCKE, FRIEDRICH

TITLE:

QUAESTIONES PLUTARCHEAE DE VITARUM

PLACE:

MONASTERII GUESTF.

DATE:

1911

Master Negative #

91-80118-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
Z8
v 4

~~Fridericus~~ Friedrich
Focke, Quaestiones Plutarcheae de Vitarum parallelarum textus historia. Monasterii Guestf. 1911: Soc. Typ. Guestf. 69 S. 8°
Münster, Phil. Diss. v. 20 Jan. 1912, Ref. Kroll
[Geb. 28. Febr. 90 Lengerich i. W.; Wohnort: Münster i. W.; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Landessch. Pforta Reife O. 08; Studium: Greifswald 4, Münster 1, Berlin 1, Münster 1 S.; Rig. 10. Nov. 11.] [U 12. 3983

113601

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/3/91 INITIALS SM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no. 4

QUAESTIONES PLUTARCHEAE

DE VITARUM PARALLELARUM TEXTUS HISTORIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE ORDINE

MONASTERIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS FOCKE

GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTFALORUM 1911.

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPH. GUESTFALORUM.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

Carolus Spannagel
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

Guilelmus Kroll
professor p. o.

Matri carissimae sacrum.

Plurimum differunt, quae de Plutarchi Chaeronensis vitarum parallelarum memoria nos quidem effingimus, ab iis, quae ex Caroli Sintenis editionibus potuerunt intellegi. Quod in hac re tantum profecimus, ut plane obsoleverit ista editio, quam annis 1839—1846 Sintenis confecit (editio minor annis 1889—1895 in Bibliothecam Teubnerianam recepta est), duplicem habet causam. Prospera enim evenit fortuna, ut eorum, quos habebamus, librorum manuscriptorum numerus duobus augeretur novis codicibus, quorum utrumque ad contextum restituendum summi pretii esse omnes adhuc consenserunt. Anno 1870 Rudolphus Hercher in Aristidis et Catonis maioris vitis edendis adhibuit codicem Seitenstettensem, quem ut inspiceret conferretque, primo ei anno 1856 contigerat. Postquam lectiones eius publici iuris fecit C. Th. Michaelis (De Plutarchi codice manuscripto Seitenstettensi, Berol. 1885), Wolfgangus Meyer in dissertatione (De codice Plutarcheo Seitenstettensi eiusque asseclis. Accedunt lectiones Seitenstettensis. Lips. 1890), quae inter hunc ipsum et ceteros vitarum codices interessent rationes, accuratius inquisivit. Quae in initio codicis nunc mutilato olim fuissent vitae, recte cognovit K. Fuhr (Berl. phil. Wochenschr. no. 46 [1902], p. 1436), qui idem ad vitarum ordinem suo iure animos advertit. Denique quibus legibus in futura vitarum editione hic codex esset adhibendus, egregie ostendit Claes Lindskog, qui vitas Agesilai et Pompei de integro recensuit (Lips. 1907).

Alterum, quem dixi, codicem Matriti repperit Carolus Graux eiusque virtutem primum explanavit in commentatione, quae inscribitur: De Plutarchi codice manuscripto Matritensi iniuria neglecto (Rev. de philol. V [1881], 1). Deinde, quomodo eius auxilio vitarum contextum constituendum esse putaret, proposuit in duabus editionibus: Vie de Démosthène, Paris Hachette 1881, et Vie de Cicéron, ibid. 1882 = Oeuvres de Charles Graux, Tome

second (Textes Grecs) [Paris 1886], pp. 301–519. Quod huius quoque libri lectiones ipsi possumus inspicere, rursus C. Th. Michaelis debemus, cuius commentatione „De Plutarchi codice manuscripto Matritensi" (Berol. 1893) de omnibus, quae ad hunc codicem pertinent, quaestionibus docemur.

Iam opineris, quomodo his duobus libris repertis commutata sit ea, quam antea codicum memoriae sibi finxerunt, imago. Postquam anno 1884 Schenkl (Burs. Jahresber. 38, pp. 179—188) docuit dua distinguenda esse codicum genera, hac ipsa quaestione in dissertatione, quam supra memoravi, accuratius cognita Meyer exposuit, quomodo illa genera, quae x et y nominavit, inter se distarent. Sed cum hic lectionum solum haberet rationem, optimo iure Mewaldt (Maximus Planudes und die Textgeschichte der Biographien Plutarchs. Sitz.-Ber. der Berl. Akad. d. W. 1906, p. 824) ordinem quoque vitarum spectavit et de vitarum corporis origine aetateque universa locutus ostendit ita inter se differre haec genera, ut proprium utrumque haberet vitarum ordinem. Quae de aetate horum generum Lindskog in editionis praefatione (cfr. Berl. phil. Wochenschr. no. 12 [1908], p. 353) paucis disseruit, improbavit Pohlenz (Gött. gel. Anz. 1907, no. 6, p. 482), qui alterius generis ordinem non aliter intellegi posse docet nisi ex altero deductum. Denique totam silvam codicum satis multis adhuc ignotis libris amplificatam omnesque quaestiones, quae ad vitarum memoriam pertinent, contulit Konrat Ziegler in libro, quem inscripsit: Die Überlieferungsgeschichte der vergleichenden Lebensbeschreibungen Plutarchs. Lips. 1907.*) Gratiam ei debet maximam, quicumque parallelarum vitarum contextus historiae operam dare intendit.

Hunc librorum commentationumque indicem, ut dissertationi meae brevi in conspectu positum praemitterem, duplex me movit causa. Prima nimirum, ut quasi terminos notarem eius viae, quam studia Plutarchea, quae quidem ad codicum memoriam pertinent, intra hos proximos quadraginta annos percucurrerunt; altera, ut huius libelli rationem quaerendi et significarem et probarem. Nam cum duobus novis iisque pretiosissimis codicibus

*) Cfr. Plutarchos Tiberius und Caius Gracchus mit Einleitung, kritischem Apparat und Sachkommentar von K. Ziegler, Heidelb. 1911. (Kommentierte griechische und lateinische Texte herausgeg. von J. Geffcken No. 1.)

in vitarum contextu recensendo nunc adiuvemur, princeps est munus atque instans, quanam ratione et inter ipsos et cum ceteris libris manuscriptis ei coniungantur, definire, numquid ad illorum, quae inter vitarum codices exstare supra dixi, duorum generum aetatem cognoscendam aliquid expediant, inquirere, denique, siquid certi ex hac perscrutandi ratione efficiatur, quod de generum origine nos certiores faciat, novis argumentis fulcire et confirmare. Cum, quae adhuc a viris doctis de hac re allata sunt, aut non sufficere aut a recta via plane aberrare mihi viderentur, adductus sum, ut denuo eam proferrem, ita tamen, ut non omnia, quae ad eam pertinerent, exsecutus esse mihi viderer, sed ut de nonnullis quaestionibus accuratius disputans conarer, quae neglecta videbantur, supplere, corrigere, quae falsa.

Priusquam singula inspiciam, liceat de codicum memoria universa pauca praemittere. Per complura saecula vitae arte coniunctae erant cum ea parte Plutarchi operum, quae „Moralia" dicitur. Tum autem — quinto circiter p. Chr. n. saeculo — segregatae sunt vitae parallelae cum ab his scriptis philosophis, tum a vitis singulorum virorum, vel principum Romanorum, vel, ut exempla afferam, Aristomenis, Cratetis Cynici, Scipionis Africani minoris, suaque habuerunt fata. Quadraginta quattuor igitur illae vitae parallelae, quibus iam pridem Arati et Artaxerxis vitae adiungi solebant, solae uno codice comprehensae sunt, ex quo variis casibus iactato omnes nostri codices defluxerunt. Ubi autem veterrimi eorum, quos hodie tenemus, codicum exoriuntur, duo cognosci possunt genera, quae non solum virtute, sed etiam ordine vitarum valde inter se discrepant. Perpauci sunt codices, qui ad alterum genus pertinent; quorum princeps est Seitenstettensis (S), saec. XI—XII, permagnum optimarum lectionum numerum praebens. Ordinem vitarum habet hunc:

1. Lycurgus-Numa
2. Solo-Publicola
3. Aristides-Cato maior
4. Themistocles-Camillus
5. Cimon-Lucullus
6. Pericles-Fabius Maximus
7. Nicias-Crassus
8. Agesilaus-Pompeius.

Perierunt in initio huius libri quaterniones quinque et folium unum, in quibus par Theseum-Romulum antea fuisse Fuhr evidenter demonstravit (Berl. phil. Wochenschr. no. 46 [1902], p. 1436). Eorum, qui ex S — vel potius ex eius apographo non servato, quod *Z* vocare consuevimus — vel toti vel ex parte descripti sunt, codicum affero hosce: Vaticanus 1007 (V), Marcianus 385 (B), Parisinus 1676 (Fa), Parisinus 1677 (F), Palatinus 286 (Pa), Scorialensis Φ II 17 (Sc), Ambrosianus Λ 151 (R). Eiusdem generis codicem habuit Photius patriarcha, cum ex vitis nonnulla exscriberet (Bibl. cod. 245); considerans enim libri S vitarum ordinem eumque, quem Photii praebent excerpta, statim intellegas omnes vitas observato cuiusque Graeci aetatis ordine deinceps redactas esse (cfr. Ziegler, Überl.-Gesch. cap. I). Cum priorem omnium vitarum partem exhibeant S eiusque asseclae, posteriorem Photius exscripserit, statuatur necesse est exstitisse olim editionem vitarum parallelarum duobus voluminibus compositam. Ab hac autem editione bipartita repetit alterum codicum genus, quod adhuc Meyero auctore x, mihi genus bipartitum vocatur, quippe qui nomen, quod ipsum significatae rei naturam primo visu patefaceret, adhibere maluerim quam signum, quod a sensibus plane sevocatum esset.

Hanc rem, ut clariorem reddam, Pohlenzii (Gött. gel. Anz. 1907, no. 6, p. 486) rationem secutus per indices accuratius exponam; sub I affero omnes vitas temporum (sc. Graecorum) ordine, sub II et codicem Seitenstettensem et Photium, sub III et IV, quos infra tractabo, indices Sopatri sophistae (de quo cfr. appendicem II), ἐκλογὰς διαφόρους apud Photium Bibl. cod. 161, et Lampriae.

I.	II.	III.	IV.
1. Theseus-Romulus		Demetrius	Theseus
2. Lycurgus-Numa	Lycurgus	Brutus	Lycurgus
3. Solo-Publicola	Solo	Nicias	Themistocles
4. Aristides-Cato maior	Aristides	Alcibiades	Solo
5. Themistocles-Camillus	Themistocles	Themistocles	Pericles
6. Cimon-Lucullus	Cimon	Theseus	Alcibiades
7. Pericles-Fab. Maxim.	Pericles	Lycurgus	Epaminondas
8. Nicias-Crassus	Nicias	Solo	Phocion
9. Alcibiades-Coriolanus	Agesilaus	Alexander	Agis/Cleomenes
10. Lysander-Sulla		Cimon	Timoleon

I.	II.	III.	IV.
11. Agesilaus-Pompeius		Lysander	Eumenes
12. Pelopidas-Marcellus		Demosthenes	Aristides
13. Epaminondas-Scipio mai.		Pericles	Pelopidas
14. Dion-Brutus	Dion	Pelopidas	Lysander
15. Timoleon-Aemilius	Timoleon	Phocion	Pyrrhus
16. Demosthenes-Cicero	Demosthenes	Aristides	Philopoemen
17. Phocion-Cato min.	Phocion	Epaminondas	Nicias
18. Alexander-Caesar	Alexander	Dion	Cimon
19. Eumenes-Sertorius	Eumenes	Agesilaus	Dion
20. Demetrius-Antonius	Demetrius	Agis/Cleomenes	Agesilaus
21. Pyrrhus-Marius	Pyrrhus	Eumenes	Alexander
22. Aratus-Artaxerxes	Aratus	Philopoemen	Demosthenes
23. Agis/Cleomenes-Gracchi	Agis/Cleomenes	Timoleon	Aratus
24. Philopoemen-Flaminius	Philopoemen	Aratus	Demetrius
		Pyrrhus	


Nunc iam ad alterum genus nos convertamus, quod propter ingentem, quam continet, codicum multitudinem „vulgatae“ nomen optime meretur. Vitas tribus aequalibus corpusculis collocatas disposuit ordine hocce:

Liber I.	l. II.	l. III.
1. Theseus	10. Phocion	17. Demetrius
2. Solo	11. Dion	18. Pyrrhus
3. Themistocles	12. Timoleon	19. Aratus
4. Aristides	13. Eumenes	20. Agis/Cleomenes
5. Cimon	14. Philopoemen	21. Lycurgus
6. Pericles	15. Pelopidas	22. Lysander
7. Nicias	16. Alexander	23. Agesilaus
8. Alcibiades		
9. Demosthenes		

Totum hoc corpus exstat in septem codicibus saec. XIII—XV; multo maior est numerus eorum codicum, qui singulos libros vel singulas vitas continent et iam inde a saeculo X. occurrunt. Is, qui in hunc ordinem vitas adduxit, complures adhibuit leges. Et nationem respexit Graecorum, ita, ut Athenienses (1—10), Siculos (11—12), Lacedaemonios (20—23) comprehenderet, praeter extremos temporum ordine dispositos, et, quomodo alius alii successit in rebus gerendis, Alexandro subiunxit diadochos, qui dicuntur. Aspiciens autem seriem 13—15 omnino nullum invenias ordinem. Id quidem facile concedas hoc genus, quod post Meyerum *Y* appellare consueverunt, ego genus tripartitum

vocabo, una atque simplici ratione redactum non esse. Sed iam liceat omittere hanc quaestionem, ad quam postea redibimus.

Quoniam codices omnes in duas partes discedere cognovimus, primum id maxime quaeritur, quae ratio intersit inter haec duo, quae internoscimus, genera, utrum aetate alterum procedat, nonne alterum ex altero ortum sit. Ziegler, qui (Überl.-Gesch. pp. 21—42) in hanc rem accuratius inquisivit, vetustatem generis tripartiti (*Y*), ex quo genus bipartitum (x) deductum esse existimat, duplici argumentatione declarare conatur, primum adversus Seitenstettensis, deinde adversus Photii memoriam. Argumento utitur hic et illic codice Matritensi (N), quem, si quis vitarum ordinem in eo respiciat, finem libri primi generis tripartiti esse dicit. Habet enim Matritensis in priore parte una manu scriptos: Niciam-Crassum, Alcibiadem-Coriolanum, Agesilaum-Pompeium. Quoniam autem Carolus Graux intellexit in vita Crassi Matritensem arte congruere cum libris Pseudo-Appianeis, qui — ex Plutarchi Crasso et Antonio congesti — bellum Parthicum describunt optimisque lectionibus abundant, ideoque eum summi esse pretii, comparat in hac ipsa vita inter se Matritensem, Seitenstettensem, genus tripartitum (*Y*), quorum ex stemmate rectissime posito haec ei efficiuntur: „N ist hier x wie *Y* in gleicher Weise überlegen und repräsentiert eine bedeutend bessere und ältere Textgestalt als der Archetypus von x und *Y*. N selbst aber ist, wenn wir seine Anordnung betrachten, ohne allen Zweifel das letzte Stück des ersten Buches der 3-Bücher-Sammlung. . . . . . Wenn sich also für N, x, *Y* das nachstehende Stemma ergibt, so waren die beiden Archetypi I und II zur



3-Bücher-Sammlung gehörig. Mit zwingender Notwendigkeit erhalten wir so das Resultat: Die Sammlung x ist sekundär aus der 3-Bücher-Sammlung abgeleitet; auf diese geht ausnahmslos unsere gesamte handschriftliche Überlieferung zurück“ (p. 22). Quam argumentationem diluere conatus est Pohlenz in commentatione supra allata docens, cum S saepe rectas servaret lectiones, codici N et in ceteris vitis et in vita Crassi multa vitia esse cum genere tripartito (*Y*) communia proptereaque eum ex uno cum genere tripartito archetypo esse deducendum; ut in vita Crassi lectiones permultas haberet et egregias, quae non alibi nisi in Pseudo-Appiani libro, qui dicitur *Παρθική*, invenirentur, inde effici, quod hoc libro Matritensis usus esset, ut suum contextum corrigeret. Sed hunc impetum facillime Ziegler propulsavit, cum evidenter exponeret in vita Crassi omnino nullum errorem Matritensi cum genere tripartito communem esse, potius cum hoc Seitenstettensem permultis locis depravatis congruere (Ziegler, Plutarchstudien. Rh. M. 63, p. 239 sqq.). Dubitandum igitur non erit, quin stemma recte positum sit. At tamen alia in re gravissime ipse quoque Ziegler peccavit; totius ratiocinationis fundamentum non satis firmum condidit, ita, ut, si iuste restitutum est atque stabilius, plane in contrarium vertantur, quae ipse voluit comprobare. Tota, ut iam dixi, Ziegleri argumentatio in hac re nititur, ut codex Matritensis referatur in genere tripartito (*Y*), id quod ex vitarum ordine satis aperte concludi posse omnes adhuc crediderunt; verumne crediderint, iam examinemus.

Extremus generis tripartiti liber primus has habet vitas:

7. Nicias-Crassus
8. Alcibiades-Coriolanus
9. Demosthenes-Cicero,

cum in Matritensis parte priore — posterior nullius pretii est — legantur:

Nicias-Crassus
Alcibiades-Coriolanus
Demosthenes-Cicero
Agesilaus-Pompeius.

Facile igitur potuit putari has vitas desumptas esse ex codice aliquo generis tripartiti, ita, ut primi libri fini additum esset par Agesilaus-Pompeius. Eiusmodi enim — recentiore aetate! — permulti componebantur Plutarchi codices, ut veterem

ordinem plane neglegentes modo ex hoc modo ex illo libro vitas promerent. Princeps igitur nobis propositum est munus huius codicis compositionem quam diligentissime cognoscere. Unde, quae lucramur, conferenda sunt cum iis, quae lectionibus observandis atque exigendis efficiuntur.

Quamquam fieri non potuit, ut ipse codicem inspicerem, tamen, quod in hac re liberaliter ac benigne adiutus sum a Johanne Mewaldt, magistro meo praestantissimo, mihi gratulor, quippe qui, postquam autumno anni 1909 Matriti ipsum codicem inspexit, quae de condicionibus eius animadvertit, mecum communicaverit.

Duo igitur scribae hunc codicem chartaceum saec. XIV, qui hodie non iam signum fert N 55, sed numerum 4685, exaraverunt, alter fol. 2 r—196 v, alter fol. 197 r—392 v. Originis indicium nullum exstat. Prior pars et optime conservata et accurate scripta atramento nigro has vitas continet:

1) Nicias (init. mutil.) - Crassus

2) Alcibiades-Coriolanus.

C. Marcius (Coriolanus) explicit in medio folio 81 v; ibidem quasi sequentis vitae inscriptio legitur: *Λύσανδρος*, quae vox nunc deleta est. Deinde fol. 82 r incipit ab eodem scriba exaratus

3) Demosthenes —

(sed iuxta vocem *Δημοσθένης* inscriptionis loco exstat etiam *Σύλλας*, quae vox non deleta est) *)

— Cicero

4) Agesilaus-Pompeius (explicit mutil.)

Deinde sequitur a folio 197 r posterior pars, quae ab altero scriba foede exarata atramento subfusco, nunc quidem valde decolorato multis foliis laceratis has complectitur vitas ex generis tripartiti libro tertio — omisso videlicet pari extremo, Agesilao-Pompeio — desumptas:

Demetrius-Antonius
Pyrrhus-Marius
Aratus-Artaxerxes
Agis/Cleomenes-Gracchi

---

*) Reminiscaris velim Lysandrum et Sullam uno pari a Plutarcho coniunctos esse.

Lycurgus-Numa
Lysander-Sulla (explicit mutil.).

Huius partis neque in hac quaestione disceptanda neque in vitarum textu constituendo ratio est habenda. —

Iam igitur animadvertimus rem miram atque satis notabilem: non primitus videtur par illud Demosthenes-Cicero secutum fuisse Alcibiadem - C. Marcium. Neque enim continuo post confectum C. Marcium scripta est vita Demosthenis, immo novo folio usus est scriba, cum proximum non totum explevisset. Sed priusquam aliquid inde colligimus, nova res singularis necesse est adhibeatur. Custodum enim, quamquam permulti cultro librarii nunc absecti sunt, apparent tamen nonnulli per vitas has omnes. Iam intellegitur, quae sit inter diversarum huius codicis partium custodes differentia. Inde enim a vita Niciae usque ad vitam Coriolani exeuntem custodes appicti sunt in margine superiore, inde a vita Demosthenis ineunte, i. e. a folio 82 r, in inferiore! In folii 2 r margine superiore exstat primus custos *γ*. Ergo duo quaterniones interierunt in initio codicis, i. e. nihil nisi vitae Niciae initium. Custos *δ*, quamquam paene totus absectus, tamen agnosci potest in margine superiore fol. 10 r, similiter custos *ε* fol. 18 r. Integer *ϛ* legitur fol. 26 r, *ϱ* fol. 34 r; *η* fol. 42 r totus absectus est, idem *ϑ* fol. 50 r; contra *ι* aperte legitur in margine superiore fol. 58 r, item satis aperte *ια* fol. 66 r; minima supersunt vestigia custodis *ιβ* fol. 74 r. Integri igitur huius partis conservati sunt decem quaterniones, duo ab initio perierunt.

Iam inde a folio 82 r prorsus denuo quaterniones numerantur. Nam quamquam desunt in foliis 82 r et 90 r custodes, quippe qui absecti sint, tamen fol. 98 r recte apparet custos *γ* in infima margine appictus. Desunt in foliis 106 r, 114 r, 122 r, 130 r custodes *δ*, *ε*, *ϛ*, *ζ*, sed fol. 137 r (in errorem igitur scriba incidit satis vulgarem) apparet *η*, vestigium custodis *ϑ* fol. 145 r, apertissime deinde legitur *ια* fol. 161 r, item *ιγ* fol. 177 r, satis aperte *ιδ* fol. 183 r; inter fol. 182 et fol. 183 recte scriba notavit: *λείπει φύλλα δύο*; hiat enim ibi lacuna in vita Pompei, sed restant trunci satis magni horum duorum foliorum, quae aliquando exsecta sunt. Sequitur deinde quaternio *ιε* numero deficiente; constat igitur hic ex foliis sex duorumque truncis.

Praeter hos autem, quos modo enumeravimus, custodes α—ιε in foliis 82 r usque ad 196 r inferiori margini appictos, iam in superiore huius alterius partis margine continuantur numeri particulae totius codicis primae, quam usque ad quaternionem ιβ pertinere cognovimus. Duplex igitur inde a folio 82 r incipit custodum numeratio, quorum in superiore quoque margine plurimi possunt agnosci: parvula restant vestigia numerorum ιδ fol. 90 r et ιε fol. 98 r; contra ιγ prorsus absectus est; apertior iam ις fol. 106 r legitur, deest ιζ. Apertissime apparent ιη fol. 121 r, ιϑ fol. 129 r, κ fol. 137 r, κα fol. 145 r, κβ fol. 153 r, κγ fol. 161 r, κδ fol. 169 r, κε fol. 177 r, κς fol. 183 r, κζ fol. 191 r.

Ne per posteriorem quidem codicis partem numeros custodum defuisse inde cognoscitur, quod fol. 199 r appictus est numerus κη et exempli gratia fol. 228 r λβ, fol. 245 r λδ.

Nunc vero in eo sumus, ut de Matritensis compositione universa liceat iudicare. Pro certo igitur unum quidem potest affirmari: ex tribus partibus constat hic codex:

I. Nicias — Crassus et Alcibiades — C. Marcius
II. Demosthenes — Cicero et Agesilaus — Pompeius
III. Demetrius — Antonius etc. usque ad Lysandrum — Sullam.

Primam partem et alteram, quamquam idem scriba exaravit, tamen non deinceps confecit alteram sub alteram, immo, postquam Niciam descripsit et Alcibiadem, substitit idque medio in folio. Deinde quasi novum opus instituit, novum quaternionem incipiens novamque custodum numerationem, et hoc ita, ut non iam, sicut in priore parte fecit, in superiore margine, immo in inferiore eos appingeret. Postea demum has duas, quas separatim conscripserat, particulas inter se conglutinavit ideoque prioris quaternionum numeros in altera produxit. Sic enim, non aliter duplicem istam numerationem ortam esse cogitandum est. Sed cum et prima et altera pars per se stare possent, quia suam quisque habuit custodum numerationem, tertia non suos habet custodes, potius priorum partium in eo continuantur, unde verisimile est eum, qui hanc partem confecit, et primam et alteram habuisse in manibus iisque suum ipsius librum ita adiunxisse, ut in ipsius additamento eos custodes, quos in

prioribus duabus partibus invenerat, continuaret, Agesilaum autem et Pompeium ex suo exemplo describere omitteret, quippe quos iam in altera parte inesse vidisset.

Iam patet nos de lectionum virtute in hoc codice plane aliter iudicare necesse esse, quam adhuc consuevimus. Non iam licet, quod ad Crassi vitam pertinet vel Alcibiadis, transferre in Demosthenem vel Agesilaum; immo seorsum tractandae sunt prima et altera pars, quarum diversum esse pretium ex compositione codicis suspiceris. Sed, ne nimii esse videamur, accurate singula inquiramus. Cognoscendum igitur erit, quem locum adversus ceteros codices in singulis partibus Matritensis lectiones obtineant. Incipiamus a prima parte, de qua penitus Ziegler rettulit cum in libro, qui inscribitur „Überl.-Gesch.“, tum in commentatione supra laudata „Plutarchstudien“ (Rh. M. 63, p. 239), qua ea, quae antea docuerat, denuo confirmare intendit. Dilucide apparet codicem N (una cum Pseudo-Appiano) in vitis Niciae et Crassi ceteris codicibus longe praestare. Perpaucis tantum locis Seitenstettensis rectam lectionem habet contra N et genus tripartitum; hi vero — sunt tres quattuorve — prorsus nihil docent; exempli gratia S recte habet *φούριον* contra *φρούριον* (Crass. IX, 21 ed. Sint. mai.), *στρατιᾶς* contra *στρατείας* (Crass. X, 41), ἢ contra ἣ (Crass. XIV, 11). Ne Seitenstettensi quidem cum N vitia communia sunt plus quam quattuor, quae ita orta sunt, ut in Seitenstettensis contextum postea inferrentur. Contra Matritensis plus centum locis rectas servavit lectiones contra S et genus tripartitum, quae, quia tot locis corruptis congruunt, ex uno eodemque fonte derivanda esse nemo iam negabit; stemma, quod a Zieglero statutum p. 10 proposui, rectissimum stat. Quod de vitae Niciae et Crassi memoria rettulit Ziegler, licet transferre ad Alcibiadis quoque et Coriolani, quos in S non inesse constat. Tamen hic quoque Matritensis ceteros omnes codices longe vincit, cfr. Graux, De cod. Matrit. etc. p. 44—46; Ziegler, Überl.-Gesch. p. 76—77. Hoc igitur teneamus virtute lectionum Matritensis primam partem plurimum antecedere archetypo codicis S et generis tripartiti.

Deinde ad Agesilai-Pompei vitas nos convertamus, quarum memoria ex Lindskogii editionis apparatu critico optime potest

intellegi. Hic res plane aliter se habet.*) Praemittere oportet nos in hoc pari Agesilaum tantum et Pompeium usque ad XIX, 6 Sint. (= p. 76, 1 Lindsk.) respicere posse, quia reliqua Pompei capita in S non iam exstant (cfr. Michaelis, De cod. Plut. manuscr. Matr., p. 4; Lindskog, praef. p. IX sqq.; Nachstädt, Berl. phil. Wochenschr. no. 12 [1907], p. 357; Ziegler, Überl.-Gesch. p. 15 adn., p. 119).

In his vitis ab altera parte S, ab altera genus tripartitum (Y) stat. Nomine Y a Lindskogio hic comprehenduntur codices hi: Laurentianus 69, 6 (L) (de quo cfr. appendicem I et Sangermanensis (G) et — Matritensis, qui in hoc pari prorsus ad Y (genus tripartitum) spectat; sola in vita Agesilai plus quam ducenta ei communia sunt vitia cum GL, ubi S rectas lectiones conservavit. Quantum igitur hic distant inter se S et genus tripartitum! Tamen proprium locum N obtinet adversus GL, quos consentiens cum S in Agesilao et Pompei capitibus I–XIX, 6 sexaginta quattuor locis vincit. Hoc igitur in his duobus vitis pro certo stat: Seitenstettensis plurimum praestat Matritensi, qui ipse ceteros generis tripartiti codices aliquantum superat.

Iam, quid ex Demosthenis vitae lectionibus observandis in hunc usum lucremur, videamus. Supra dixi Carolum Graux, ut Matritensis virtutem comprobaret, Demosthenem et Ciceronem denuo edidisse. Sequitur in hac editione principem codicem Matritensem et, quoniam virtutem eius in Crassi vita imprimis propter consensum cum Pseudo-Appianeis libris summam esse intellexerat, in contextu recensendo se plane ei commisit, ita, ut ceteris omnibus codicibus Matritensis lectiones praeferre nusquam dubitaret. Quo factum est, ut in illa, quam in publicum emisit, editione speciem textus praeberet, quae a Sinteniano prorsus est aliena. Satis habebimus nos quidem de Demosthenis vita fusius disputare, in qua plus centum quinquaginta omnino locis Matritensis lectionem in textum recepit Graux. Haud facile igitur nobis exstat munus, quo jure tantum huic codici attribuerit, singulis locis excutiendis examinare. Tum quidem apparebit satis

*) Hoc Ziegler quoque observavit (Plut.-Stud. p. 248): „Das ist strengstens festzuhalten, dass das in N unorganisch an das Ende des ersten Buches angefügte Paar Agesil.-Pomp. keinesfalls mit dem Vorangegangenen in einen Topf geworfen werden darf, vgl. „Überl.-Gesch.“ S. 15.“

magnam paleae copiam eum contulisse, ex qua accuratius ac saepius percribrata meri frumenti multo minus relinquetur, quam primo obtutu aliquis exspectet. Unde cognoscas Carolum Graux, id quod saepius ab iis fieri solet, qui primi codicem aliquem denuo in lucem protulerunt, in hac quidem vita nimium Matritensi statuisse pretium.

Pauca tantum habeo, quae praemittam de Matritensis natura et condicione, et cum de eo Michaelis (De cod. Plut. manuscr. Matrit. p. 15) accuratissime rettulerit, satis habeo, quae ille de hoc codice universe iudicaverit, repetere: „Per vitas Niciae, Crassi, Alcibiadis, Coriolani, Demosthenis, Ciceronis, Agesilai et priorem partem Pompei (1—18) multa alia habet (sc. liber Matritensis) atque omnes libri Plutarchei adhuc collati, alia praeclara, alia inepta, ita, ut nunc ex Matritensi uno medicina ducenda sit locis corruptis verbisque Plutarchi deletis aliquot inveteratis maculis pristinus nitor reddi possit, nunc vero eiusdem auctoritas prorsus abicienda sit, cum bonas vulgatae scripturas novis et respuendis vitiis corrumpat. Non pudet hunc librum evolvisse; inter vilissima enim praestantissima praebet, multis tam modis foede inquinatus est, ut moleste feras exscribendis eius lectionibus tuum tempus amittere et legentium studium frustrari. Passim confudit *ι*, *η*, *ῃ*, *ει*, *οι*, saepe mutavit *ο* et *ω*, saepe commiscuit *αι* et *ε*, nonnulla dupliciter scripsit, alia mutavit, multa omisit, alia addidit, ordinem verborum invertit, in casu et numero verborum saepius peccavit, omnino omni genere vitiorum laborat. Neque igitur ea libri Matritensis est bonitas, ut, si quid proprii habeat, ceterorum librorum testimonium improbandum sit. Semper iudicio utendum est, utrum vulgatam sequaris, an novam amplectaris illius lectionem, neque Sangermanensi aut Seitenstettensi comparandus est virtute Matritensis, neque habemus, cur eius scripturam vel bonam bonae ceterorum librorum, novam veteri praeferamus, sed Matritensi libenter utamur, quotiescumque ceteris libris manifesto corruptis bonam protulit tolerandamque lectionem.“ Haec imprimis in illarum vitarum textu constituendo iterum atque iterum respicienda sunt admonentque, ut cum omnino in Matritensi cautionem adhibeamus quam maximam, tum in rebus orthographicis vel in iis rebus, in quibus eum saepissime errare modo audivimus, summe ei diffidamus. Addere liceat nos in

ipsis Demosthenis-Ciceronis vitis propterea meliore uti condicione in textu recensendo, quia habemus codicis Matritensis gemellum, dico Vaticanum Gr. 138 (U), quem in pari Demosthenis-Ciceronis saeculo XIV vetustiori huius libri parti adiecto ex eodem quo Matritensem derivandum esse fonte Graux ostendit (Annuaire de l'association p. l'encourag. des ét. Gr. en Fr. XVI [1882], p. 119; cfr. Ziegler, Überl.-Gesch. p. 7, 81, 170).

Nunc vero iam disputare liceat de maiore numero locorum ex Demosthenis vita electorum, ex quibus Matritensis codicis memoriae iniuste a Carolo Graux postpositam esse vulgatam manifeste mihi videbatur apparere. Non sine consilio magnum numerum attuli earum quoque discrepantiarum, in quibus pro certo non diiudicari potest, utri memoriae fides habenda sit, ubi autem intellegere possis, qua ratione Matritensis memoria a vulgata distare solet. Omisi eos locos — sunt vero permulti —, quibus ea, quam Caroli Graux textus praebet, lectio non invenitur in N, cum in appendice critica Graux hoc non adnotaverit.*)

Demosth. I, 3 (ed. Sint. mai.) *ὦ Σόσ⟨σ⟩ιε Σενεκίων* N pro *Σέσσιε* ceterorum codicum. Sed *Σόσσιε* — etiam sine interiectione *ὦ* ut in prooemio — optime stat; cfr. Demosth. XXXI, 25, ubi N *ὦ Σόσσιε,* ceteri rursus *Σόσσιε* praebent. Perfacile enim *Σόσσιε* in *ὦ Σόσσιε Σενεκίων* potuit commutari, non ex hoc illud. — I, 17 *ἐπιλαμβανομένην* falso mutavit N in *ἐπιλαβομένην.* — I, 18/19 *τοῦ* addidit N ante *βιοῦν.* Sed articulum, quippe qui antea iam exstet ante *φρονεῖν*, ad utrumque verbum pertinere apparet. *Φρονεῖν* et *βιοῦν* hoc loco quasi unum efficiunt. — II, 6 *διαφεύγοντα* perperam N mutavit in *διαφυγόντα.* — II, 9 post *μικρὰν* male N inseruit *μέν;* neque enim hae duae sententiae *ἡμεῖς δὲ μικρὰν οἰκοῦντες πόλιν* et *ἐν δὲ Ῥώμῃ κτλ.* omnino inter se contrariae sunt; immo posterior priorem continuat, ita, ut alteram afferat causam, cur tam sero Plutarchus linguam Latinam didicerit. — II, 14 pro vulgatae *γράμμασιν* in-

*) Nonnulla eorum, quae Graux ex Matritensi codice recepit, vituperaverunt iam ii, qui de eius editionibus iudicium fecerunt, quos allatos invenias hisce locis: Oeuvres de Ch. Graux, tome II (Textes Grecs) [1886], p. 385—396 et 504—519; Schenkl, Burs. Jahresber. 38 [1884], p. 186 adn. et 188 adn.; Ziegler, Überl.-Gesch. p. 91—93. Quorum sententias, quod unoquoque loco afferre supersederim, vix fore existimo, qui indignentur.

utiliter posuit N *συντάγμασιν.* — II, 18 *ὡς ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμωσγέπως εἴχομεν ἐμπειρίας ἐπακολουθεῖν διὰ ταῦτα καὶ τοῖς ὀνόμασιν* vulg.; ante *ἀμωσγέπως* Graux scripsit *ὤν*, quod verbum in N non inest (cfr. Michaelis, De cod. Plut. m. Matr. p. 33), pro *ἐμπειρίας* non bene N habet *ἐμπειρίαν.* Valde hoc loco desudaverunt viri docti, quamquam sine ulla mutatione, ut est in vulgata et apud Sintenem, perbene intellegitur (cfr. Isocrat. 16, 11: *οἳ καὶ τοὺς ἄλλους διδάσκειν τέχνην ἔχουσιν*). — III, 6 voce *ἦν* ante *εἰπεῖν* in N addita prorsus possumus carere. — III, 12 *ἀπ' ἀρχῆς* rectissime scriptum, quod persaepe apud Plutarchum legitur (cfr. Wyttenbach, Lex. Plut. p. 135/136), mutavit N in *ἐξ ἀρχῆς.* Neque — III, 19 *τῶν πατρίδων*, quod N praebet pro *τῆς πατρίδος*, nos vexat; falso enim a Carolo Graux comparatur hoc cum antecedentibus *θυγατέρας δ' ἀποβαλόντας.* Nam *τῆς πατρίδος* et *ἐκπίπτειν* tam arte inter se coniuncta sunt, ut quasi unam efficiant vocem, similiter sicut paulo post *τὸν βίον συγκαταστρέψαντας.* Ceterum animadvertas Plutarchum saepius formam singularem adhibere, ubi pluralem fortasse aliquis exspectaverit, cfr. Agid./Cleomen. et Gracch. comp. I, 6: *ἡ δ' Ἄγιδος καὶ Κλεομένους φύσις ἐῤῥωμενεστέρα φαίνεται τῆς ἐκείνων γενομένη.* Neminem igitur illo loco forma singularis potest offendere, cum statim intellegatur librarium aliquem perfacile potuisse adduci, ut in pluralem eam commutaret. — III, 20 *καὶ* post *ἅμα δὲ* in N interiectum magis offendit quam iuvat. — III, 23 *χαλεπῶς μὲν ἂν διακριθῆναι* legitur in vulgata, *μὲν* omisit N, quod non recte hoc loco Graux probavit; saepissime enim invenias vocem *μέν*, ut non sequatur altera sententia adversa cum *δέ;* habet ibi illa particula vim confirmativam idemque valet atque *μήν.* Persimiliter exempli gratia apud Platonem (Lach. 182 D) exstat: *ἀλλ' ἔστι μὲν . . . . χαλεπὸν λέγειν περὶ ὁτουοῦν μαθήματος ὡς οὐ χρὴ μανθάνειν· πάντα γὰρ κτλ.* — IV, 9/10 pro vulgatae *ἡ σύμπασα τίμησις* scribit Graux ex N: *σύμπασ' ἡ τίμησις*, quod, cur rectius sit, non intellego (cfr. Polyb. 32, 14, 3 *οὔσης τῆς ὅλης τιμήσεως ὑπὲρ ἑξήκοντα τάλαντα*). — IV, 13 minime opus est *τοῦτο* corrigere cum N in *ταῦτα.* — IV, 17 pro *κάτισχνος* exhibet N *ἁπαλός*, quod ad rariorem illam vocem explicandam suprascriptum textui insertum esse statim opineris. — IV, 30 verba *καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ* Graux

non ut ceteri libri et editores in fine capitis quarti posuit, sed in capitis quinti initio. Tamen addenda esse illa verba capiti antecedenti cum ex multorum aliorum scriptorum, tum ex ipsius Plutarchi usu satis apparet, qui sescenties his similibusve verbis capita clausit, cfr. Demosth. XV, 22; Cic. I, 22; Demetr. XI, 21; XXVII, 44; C. Gracch. X, 29; Cleom. XXX, 15. — V, 11 *ἀκούσεται τῶν λεγομένων* vulgata, *ἀκροάσεται τῶν λεγόντων* N. Primum *ἀκροάσεται* propter hanc causam mihi suspicionem movet, quod duobus versibus antea legitur *ἀκρόασις*. Plutarchum enim satis constat studuisse, ut non iisdem vel similibus deinceps verbis uteretur, potius ut variatione iuvaret dicendi. Deinde minus recte pro *λεγομένων* mihi videtur positum esse *λεγόντων*, quia unum Callistratum loquentem Demosthenes auditurus fuit; de aliis oratoribus nihil omnino dictum est. — V, 14 *ὑπὸ τῶν πολλῶν* multo magis mihi placet quam Matritensis *ὑπὸ πολλῶν*, quod multo languidius mihi illo videtur esse. — V, 15 ante *πάντα* apte quidem inseruit N *ὡς*; neque tamen sine hac coniunctione minus bene omnia intelleguntur, ita, ut prorsus ea possimus carere. — VI, 1 num *δ' οὖν* rectius in N scriptum sit quam in ceteris codicibus *γοῦν*, quis recte diiudicet. Talium vero nugarum magnam farraginem converrere potuerim. Similiter — VI, 8 pro *ἐπεχείρησεν* posuit N *ἐνεχείρησεν*, quod a Plutarcho bis terve quidem, at alia vi instructum adhibetur. — VI, 23 non minus difficile erit diiudicatu, utrum, quod N praebet, *διέσπασθαι*, Plutarchus scripserit an *διασπᾶσθαι*, quod fortasse magis placet propter *ἐπιταράττουσα*. — VII, 1 non bene omisit N *ποτὲ* post *πάλιν δέ*. — VII, 2 pro *συγκεκαλυμμένου* legitur in N *συγκεχυμένου*, cum non possis contendere meliorem hanc sententiam esse redditam; immo paene idem significat *συγκεχυμένου* atque *βαρέως φέροντος*, id quod a Plutarchea scribendi ratione prorsus esset alienum. — VII, 2 utrum vulgatae *ὑπακολουθῆσαι* an *ἐπακολουθῆσαι* Matritensis rectius positum sit, ego quidem diiudicare noluerim; illa vox rarissima apud Plutarchum nusquam invenitur, quamquam per se nihil habet, quod nos offendat; *ἐπακολουθεῖν* autem saepius quidem a Plutarcho adhibetur, raro tamen in eandem, quae hoc loco exspectatur, sententiam spectans, exempli gratia Consol. ad Apoll. c. 23 (cfr. Wyttenbach, Lex. Plut. p. 326). Utique erravit Sintenis, qui ex unico eoque recentiore codice

Parisino 1675 (E) scripsit *ἀκολουθῆσαι*. — VII, 14 plane supervacaneum ante *ὅλως* inseruit N *εὐθύς*. — VIII, 11 vix possumus pro certo affirmare, utrum Matritensis *δὲ* scribendum sit an ceterorum librorum *τε*, quod et ab Thukydide et ab Xenophonte persaepe eadem, qua hic, adhibetur ratione. — VIII, 13 perperam Graux Matritensem secutus post *ἀλλὰ* omisit *καί*. Nonne quid interest inter *μὴ ῥαδίως ἀκοῦσαί τινα Δημοσθένους ἐπὶ καιροῦ λέγοντος* et *καθήμενον ἐν ἐκκλησίᾳ πολλάκις τοῦ δήμου καλοῦντος ὀνομαστί μὴ παρελθεῖν*? Omnino non possumus particula carere, quae gradationem quandam significat. — VIII, 19 vulgatae contextum *καὶ σοί, ὦ Πυθέα, ὁ λύχνος σύνοιδε* gravissime foedavit N in *καὶ σοὶ ὁ λύχνος, ὦ Πυθέα*, ubi hiatus ortus est, cum illic *σοί, ὦ* haud sciam an interpunctione excusetur. — IX, 5 vulgata perhibet *Λαμάχου τοῦ Μυριναίου*, N *Λαμάχου τοῦ Σμυρναίου*. De hoc sophista nihil compertum habemus, nisi quod ex hoc ipso loco et ex Pseudo-Plutarchi Dec. orator. vit. p. 182, 8 Bernad. intellegitur, ubi exstat *Λαμάχου τοῦ Τερειναίου* (*Τεριναίου* Lambinus). Quae cum ita sint, utrum *Μυριναῖος* an *Σμυρναῖος* fuerit ille vir, erui nequit. Atqui conferas, quae de Matritensis fide Ziegler disseruit: „Doppeltes Mißtrauen ist gegen abweichende Namensformen in N am Platze, da sich in der Zusammenstellung, die Michaelis hierfür p. 6 gibt, drei Fälle finden, in denen nicht Korruptelen, sondern offenbar Konjekturen zu erkennen sind, welche den bekannteren Namen für den minder bekannten einsetzen“ (Überl.-Gesch. p. 93). Michaelis enim (De cod. Plut. m. Matr. p. 6) permultis locis allatis docet, quam mendose nomina propria N scripserit. Quapropter hoc quoque loco vix fallemur, cum Matritensem pro *Μυριναίου* posuisse statuamus *Σμυρναίου*, nomen certe multo usitatius. Aeque codex Parisinus 1675 (E), cuius supra mentionem feci, habet *Σμυρναίου*, quod non ex N sumpsit, sed suo iudicio coniecit. Omnibus his de causis ad summam accedit verisimilitudinem recte in vulgata legi *Μυριναίου*. Ceterum traditum est apud Syncell. 181 a et apud Euseb. chr. p. 34 Myrinae oppido nomen Smyrnae quoque fuisse. Tamen, num haec res Matritensis auctori nota fuerit eumque commoverit, ut illud nomen corrigeret, ego quidem valde dubito. — IX, 13 vocem *καλὰ* post *ἄλλα* in N interiectam nemo desiderabit, potius dittographia videtur addita esse. Saepissime legitur apud

Plutarchum *τὰ μὲν ἄλλα . . . ., . . . δέ.* — IX, 17 ut saepius (cfr. Demosth. XIII, 9), ita inter *ἐπὶ* et *τύχῃ* velut pro adverbio positis articulum N iniecit inutiliter. — IX, 32 post *παρὰ Φιλίππου* addidit N in exeunte capite *περὶ συλλαβῶν διαλεγόμενος*. Quod ut magis intellegas, aspicias Demosthenis verba haec (de Hal. 5/6): *ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽ ἐκεῖνόγε λανθάνει αὐτόν, ὅτι δι᾽ ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων ὁποτέρῳ ἂν χρῆσθε ὑμεῖς, ἕξετε τὴν νῆσον, ἄν τε λάβητε ἄν τ᾽ ἀπολάβητε· τί οὖν αὐτῷ διαφέρει μὴ τῷ δικαίῳ ὀνόματι χρησάμενον ἀποδοῦναι ὑμῖν, ἀλλὰ δωρεὰν δεδωκέναι τῷ ἀδίκῳ;* Huc (etiamsi fortasse non haec ipsa verba, quae ab Hegesippo orta esse constat) spectant, quae in Aeschinis oratione, quam in Ctesiphontem habuit, leguntur (cp. 83), ubi de Demosthenis, quae dicitur de Halonneso, oratione, dicit: *Ἁλόννησον ἐδίδου· ὁ δ᾽ ἀπηγόρευε μὴ λαμβάνειν, εἰ δίδωσιν, ἀλλὰ μὴ ἀποδίδωσιν περὶ συλλαβῶν διαφερόμενος.* N autem non habet *διαφερόμενος*, quod quin unum recte sit positum, nulla est dubitatio, sed perperam *διαλεγόμενος*. Quapropter valde mihi haec additamenta videntur suspiciosa esse, quippe quae a librario quodam genuina Aeschinis verba memoria accurate non iam tenente interpolata esse opiner. — X, 7 pro *ὁ δ᾽ αὐτὸς φιλόσοφος*, quae in vulgata leguntur, exhibet N *ὁ δ᾽ αὐτὸς Θεόφραστος;* sed quin illa verba pertineant ad Aristonem philosophum Chium, de quo modo dictum est, ne minimum quidem habet dubitationis. Pessime igitur interpolavit is, qui *Θεόφραστος* posuit pro *φιλόσοφος*. Ceterum Blass (Literar. Zentralbl. 17. Dez. 1881 = Oeuvr. de Ch. Gr. II. p. 388) monet, non *ὁ δ᾽ αὐτὸς Θεόφραστος*, sed *αὐτὸς δ᾽ ὁ Θεόφραστος* esse scribendum. — X, 9/10 *τὸν* addidit N et ante *Δημοσθένην* et ante *Φωκίωνα*, quod falso Graux probavit. Neque enim desiderabis omnino articulum, cum respicias non Plutarchum, sed Polyeuctum verba facere. Ne *Φωκίωνα* quidem, quod paulo postea legitur, articulum habet; cfr. infra p. 29. Praeterea licet conferas vitae Pyrrhi (VIII, 15) locum huncce: *Ἀννίβας δὲ συμπάντων ἀπέφηνε τῶν στρατηγῶν πρῶτον μὲν ἐμπειρίᾳ καὶ δεινότητι Πύρρον, Σκηπίωνα δὲ δεύτερον, ἑαυτὸν δὲ τρίτον.* — XI, 1 quin perperam pro imperfecto tempore *ἐπῆγεν* N posuerit aoristum *ἐπήγαγεν*, quis dubitet? — XI, 3 rursus N imperfectum *ἀκούειν* mutavit in *ἀκοῦσαι*, cum negare nequeas optime illud intellegi; similiter postea leguntur *ἐκβιάζεσθαι, διαρθροῦν, γυμνάζεσθαι, εἶναι, περαίνει.*

Vocem *γὰρ* post *μὲν* plane superflue N inseruit. — XI, 6 minus bene pro *ἐν τοῖς δρόμοις γυμνάζεσθαι* scripsit N *γυμνάζειν ἐν τοῖς δρόμοις*. — XI, 7 ceteri libri exhibent *προβάσεσιν*, quod recte Coraes mutavit in *προσβάσεσιν*, cum N praebeat *ἀναβάσεσιν*, qnod quidem per se non falso dictum est, cui tamen *προσβάσεσιν* postponere nulla ratione licet. Ceterum satis magnam mihi affert suspicionem, quod non *τὰ σίμα* habet N, sed, quod sensu prorsus caret, *στάσιν;* caveamus igitur, ne sequenti syllabae nimis confidamus. — XI, 10 sincerum verborum ordinem non bene N obmutavit pro *ἐξ ἐναντίας ἱστάμενον* scribens *ἱστάμενον ἐξ ἐναντίας*. — XI, 21 pro *ἐρωτηθέντα* N exhibet *ἐπερωτηθέντα*, quod omnino uno tantum vitarum loco (Arist. III, 14) invenitur neque habet, cur illi praeferatur. — XII, 11 pro *περὶ ἀμύνας* non minus recte in N legitur *πρὸς ἀμύνας*. Similiter — XII, 25 pro *ὑπὲρ αὐτοῦ* habet N *περὶ αὐτοῦ*, quod utrumque aeque bene a Plutarcho scribi potuit. — XIII, 5 *ἄχρι τέλους* rectissime habent ceteri codices, inseruit N *τοῦ*, cuius rationis iam supra p. 22 tractavimus exemplum (cfr. Fab. Max. VI, 38 *ἄχρι ῥίζης*). — XIII, 9 vulgata exhibet haec: *Δημάδης ἀπολογούμενος διὰ τὴν ἐν τῇ πολιτείᾳ μεταβολὴν ἔλεγεν, αὑτῷ μὲν αὐτὸν τἀναντία πολλάκις εἰρηκέναι, τῇ δὲ πόλει μηδέποτε.* Pro *αὐτὸν* habet N nominativum *αὐτός*, qui per se nimirum recte stat; neque tamen opus mihi videtur esse accusativum mutare cum N, quem ideo a Plutarcho hoc loco praeter vulgarem usum positum esse existimo, ut contrarium (*τἀναντία*) magis efferretur; oppositum est *αὐτὸν* et *αὑτῷ* et *τῇ δὲ πόλει* dativis. Cuius rei permulta exstant exempla, e. g. Thuk. VIII, 63 *ἐσκέψαντο Ἀλκιβιάδην μὲν . . . . ἐᾶν . . . ., αὐτοὺς δὲ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ὁρᾶν, ὅτῳ τρόπῳ κτλ.*; Xen. Hell. II, 1, 26 *οἱ στρατηγοὶ ἀπιέναι αὐτὸν ἐκέλευσαν· αὐτοὺς γὰρ νῦν στρατηγεῖν, οὐκ ἐκεῖνον.* Nescio igitur an hoc quoque loco Matritensis pro inusitato posuerit usitatum. — XIII, 16 exhibet N *οὕτως καὶ* pro vulgatae *οὕτω καί*, quod Graux probavit. Neque vero intellego, cur paulo post, Demosth. XIII, 21, ubi rursus in N exstat *οὕτως* ante consonantem, Matritensis lectionem in textum recipere omiserit. — XIII, 25 perperam N addidit *καὶ* ante *τὴν ἀσφάλειαν;* ita enim disiunguntur verba *ἀσφάλειαν* et *σωτηρίαν*, quae re vera *ἓν διὰ δυοῖν* efferre videntur. — XIII, 30 pro vulgatae *κατὰ* suo arbitrio substituit N *περί*, quod nulla re magis commendatur quam

illud. — XIV, 8 pro *Ἐκβάτανα* invenitur apud Herodotum, Aeschylum, Ctesiam forma *Ἀγβάτανα*, quam Graux quoque comprobavit ex Matritensi desumptam. Neque vero haec forma exstat omnino apud Plutarchum, immo *Ἐκβάτανα* scripsit e. g. Agesil. XV, 6; Pelop. XXX, 15; Alex. LXX, 1; Artax. XXVII, 13; deinde ne exhibet quidem N formam *Ἀγβατάνων*, sed *Ἀκβατάνων*. Nulla igitur restat dubitatio, quin hoc plane corruptum sit. — XIV, 9/10 diiudicari vix potest, num Matritensis *ἦν ἱκανώτατος* rectius scriptum sit quam *ἱκανώτατος ἦν*. — XIV, 16 (et XXV, 37) pro *Θεόπομπος* scripsit N *Θεόφραστος*, quod praeter Carolum Graux Blassio quoque (l. c.) placuit. Sed quanam tandem ratione possumus omnino nos quidem hodie internoscere, utri harum duarum narratiuncularum memoriam debeamus? Possunt sane traditae esse apud Theophrastum, sed cur a Theopompo narratas esse nolis?*) Quantum ego video, nullum exstat momentum, quod in hac quaestione disceptanda nos adiuvet; quare, si memineris, quae de Matritensis in propriis nominibus tradendis fide p. 21 dixerim, vulgatae memoriam ne hoc quidem loco repudiaveris. — XV, 10 non bene Graux cum N scripsit *δυοῖν* pro *δυεῖν*, quod satis multis aliis vitarum locis optimorum codicum testimonio comprobatur, cfr. Pomp. LVIII, 15; LXII, 17; LXII, 26; Caes. II, 8. — Pronomine *αὐτοῦ* addito in N post *προσεληλυθότος* opus non est. — XV, 10/11 legitur in vulgata: *δοκεῖ γὰς δυεῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους*, contra N exhibet: *δυοῖν* (vide, quae de hac forma modo dixi) *ἢ τριῶν καὶ τριάκοντα γεγονὼς ἐτῶν*. Genetivus quidem *ἐτῶν* ad *γεγονὼς* spectans nihil habet, quod offendat, cfr. Pyrrh. III, 17 *γενομένων δυοκαίδεκα ἐτῶν*. De aetate autem Demosthenis, quos affert N numeros, prave veris substitutos esse iam apparebit. Paucis repetam, ut res clarior fiat, necesse est earum rerum memoriam, quas a Demosthene illis temporibus gestas esse Plutarchus narrat:

a. 384 natus est Demosthenes
a. 355 oratio contra Androtiontem
a. 354 oratione *περὶ συμμοριῶν* primo ad rem publicam Dem. accedit

*) De Theophrasto Plutarchi auctore cfr. Gebhardt, De Plutarchi in Demosthenis vita fontibus ac fide. Diss. Monac. 1880, p. 17; de Theopompo ibid. p. 24, 25, 53, passim.

a. 352 oratio contra Timocratem
a. 352 oratio contra Aristocratem.

Iam verba Plutarchi sunt haecce: *τῶν δὲ δημοσίων ὁ μὲν κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Τιμοκράτους καὶ Ἀριστοκράτους ἑτέροις ἐγράφησαν οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· δοκεῖ γὰρ δυεῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονώς* (sic vulg.) *ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους*. Sed cum duodevicesimum annum Demosthenem tum egisse ceteri libri tradiderint, in N tricesimum alterum annum natus fingitur. Iam, ut videamus, utri maior fides habenda sit, aspicias conspectum annorum, quem supra proposui: contra Androtiontem scripsit anno 355, anno 354 primo publicas res capessivit, anno 352 contra Timocratem Aristocratemque litigavit. Unde apparet verba illa *οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος* ad orationem contra Androtiontem tantummodo posse spectare. Artissime autem cum illis verbis cohaerent haec, quae sequuntur particula *γὰρ* cum antecedentibus coniuncta: *δοκεῖ γὰρ . . . ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους*. Sic igitur Plutarchus videtur ratiocinatus esse: eo tempore, cum ad rem publicam aggressus est Demosthenes (i. e. anno 354), annum egit tricesimum; orationes autem illas necesse est confectas esse ab eo ante illud tempus; nam videtur duodetriginta tantummodo annorum fuisse, cum eas conscripsit. Notum igitur fortasse Plutarcho fuit et Demosthenem [anno 355 contra Androtiontem scripsisse (falso autem contra Timocratem et Aristocratem orationes una cum illa ortas fingit) et tricesimum circiter annum agentem eum primo in publicum processisse. Ergo — et hoc quidem de suo quasi in parenthesi Plutarchus addit — illas orationes conscribens nondum tricesimum egit annum, sed — iam exspectaremus nos quidem undetricesimum, Plutarchus autem duodetricesimum affert, quod ad ipsam rem prorsus non attinet. Quam vero falso tricesimum alterum dixisset annum, iam patet. Simul vero intellegitur, qua re adductus sit quispiam interpolator sicut temerarius, ita rerum gestarum admodum peritus, ut scriberet *δυεῖν ἢ τριῶν καὶ τριάκοντα γεγονὼς ἐτῶν*; nempe sciebat iste anno 352 egisse Demosthenem contra Timocratem et Aristocratem ideoque illum numerum substituit, qui cum harum duarum orationum temporibus optime quidem congruit, qui tamen ut ab ipso Plutarcho positus sit, fieri nulla ratione posse docent verba *οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος*. Rectissime igitur vul-

gata illos numeros conservavit. — XVII, 15 num pro vulgatae *χρήματα δὲ καὶ μισθοὺς τοῖς ξένοις εἰσφέρεσθαι προθύμως* melius N scripserit *εἰσφέρεσθαι τοῖς ξένοις*, interim dubitem neque pro certo affirmare audeo, rectiusne — XVIII, 8 pro *τὸν δῆμον ταῖς ἐλπίσιν* legatur in N *ταῖς ἐλπίσι τὸν δῆμον*. — XVIII, 10/11 vulgata haec praebet: *Ἀμύνταν μὲν καὶ Κλέαρχον Μακεδόνας, Δάοχον δὲ Θεσσαλὸν καὶ Θρασυδαῖον*, contra N exhibet: *Ἀμύνταν μὲν καὶ Κλέανδρον καὶ Κάσανδρον Μακεδόνας, Δάοχον δὲ Θεσσαλὸν καὶ Δικαίαρχον*. Ut de his nominibus confusis et obmutatis aliquid certi statuamus, fieri nullo modo potest; omnes, qui de Caroli Graux editione rettulerunt, consentiunt graviter corruptum esse totum hunc locum. Nonnulla tamen erui posse censeo. Primum quidem *Θρασυδαῖον* optime hic stare vel cognoscas ex Demosth. de cor. 295: *ἐξαπατῶντες καὶ διαφθείροντες, ἕως δούλους ἐποίησαν, Θετταλοὺς Δάοχος, Κινέας, Θρασύδαος*. Quomodo autem Dicaearchus iste, de quo nihil omnino scimus, in Matritensis contextum venit? Haud scio an ita scriba erraverit, ut, quae antea exstant,

ΚΑΙΚΛΕΑΡΧΟΝ corrumperet in

ΔΙΚΑΙΑΡΧΟΝ,

id quod nomen *Θρασυδαῖον* loco demoverit. *ΚΑCανδρον* fortasse (cfr. Stegmann, Philol. Rundschau, 17. Febr. 1883 = Oeuvres de Ch. Gr. II, p. 292) ortum est ex *ΚΛΕαρχον*. Utut res se habet, prorsus iniuste agit, si quis Matritensis lectiones, quae permagnam nobis afferunt suspicionem, ceteris praeferendas esse contendit. — XVII, 27 pro *ὥσπερ* habet N *καθάπερ*, quod non est cur praeferamus. — XIX, 1 *ἡ περιφορὰ πραγμάτων* habet N pro *ἐν περιφορᾷ πραγμάτων*, quod mihi multo melius placet quam illud; *τύχη* et *περιφορὰ πραγμάτων* non sunt eadem res, immo *τύχη* est prior, ex qua *περιφορὰ πραγμάτων* nascitur; neque omnino fieri potest, ut *περιφορὰ πραγμάτων* coniungatur cum *ἐναντιοῦσθαι τοῖς πραττομένοις* et cum *πολλὰ σημεῖα τοῦ μέλλοντος ἀναφαίνειν*, potius haec omnia *τύχῃ τινὶ* oriuntur. — XIX, 5 et *προὔφαινε* et *προὔφερε*, quod in N legitur, recte stat. — XIX, 11 vulgatae *ποτάμιον μικρὸν* mutavit N in *ποταμὸν μικρόν*; tamen saepius Plutarchum deminutiva coniunxisse cum adiectivo *μικρὸς* confirmatur a Stegmanno (l. c.) exemplis his: Aemil V, 26 *οἰκίδιον δὲ πάνυ μικρόν;* Aemil. XXVIII, 40 *ἀπὸ γηδίου μικροῦ;* Cato min. XXIV, 5 *δελτάριόν τι μικρόν;* Cato min. LXX, 3 *διὰ*

παιδίου μικροῦ. Ne *ἐμβάλλον* quidem propter masculinum nomen *ποταμὸν* in *ἐμβάλλοντα* mutare oblitus est hic interpolator, cuius astutiam iam compertam habemus. Consentio igitur, quod ad interpolationum, quae in Matritensi inveniuntur, naturam atque originem attinet, plane cum iis, quae Ziegler (Überl.-Gesch. p. 91—93) de iis disseruit. — XIX, 17 *φησί* post *εἶναι* melius stat quam ut in N post *Θερμώδοντα*. — XIX, 21 *δὲ* post *ἐπί*, ut fieri solet, posuerunt ceteri codices, post *τούτῳ* N. — XX, 8 quod post *τοιαῦτα* in N legitur *πάντα*, prorsus supervacaneum est, quia vocis *πάντα* vis iam inest in *τὰ τοιαῦτα*. — XX, 13 *ἐπιγεγραμμένης* ad *ἀσπίδος* pertinens rectissime est positum neque est, cur cum N scribatur *ἐπιγεγραμμένην*, quod ad *ἐπιγραφὴν* spectat; cfr. Flamin. I, 3 *χαλκῆς εἰκόνος, ἣ κεῖται παρὰ . . . . . γράμμασιν Ἑλληνικοῖς ἐπιγεγραμμένη*. — XX, 14 male *Φίλιππος* omisso articulo posuit N post *χαράν*. — XX, 23 num aoristus *δίϊκετο*, quem N praebet, praeferendus sit plusquamperfecto *διῖκτο*, quis affirmare velit? — XXI, 4 *ἀπέλυσεν* scripsit N pro *ἀπέλυεν*, quod rectissime positum esse vel ex *ἐμβαίνοντες, παρεσκεύαζον, τιμῶν, διετέλει καὶ προκαλούμενος*, potest cognosci. — XXI, 6 pro *ὀστέων* praebet N *ὀστῶν*; utrum praeferam, adhuc incertus sum; traditur enim aliis locis in codicibus utraque forma: Marcell. XXX, 13 *ὀστᾶ;* Cim. VIII, 34 *ὀστᾶ*; Pyrrh. III, 20 *ὀστέον* codd. Plut., *ὀστοῦν* Photius; sept. sap. conv. 5 *ὀστέων, ὀστέον*. Quae res ut disceptetur, accuratius erit inquirendum, quantum a mera Attica dialecto Plutarchus discesserit eaque lingua usus sit in scribendo, quae dicitur *κοινή*. — XXI, 10 *ἀποδεικνύμενος* rectissime exstat, quapropter non est, cur *ἐπιδεικνύμενος* libri N anteponamus. — XXIII, 7 *ἐπεγείρων πόλεμον* multo magis mihi placet quam Matritensis *πόλεμον ἐπεγείρων*. Omnino de verborum transmutationibus, quibus sescenties Matritensis contextus foedatur, cfr. Ziegler, Überl.-Gesch. p. 92. — XXIII, 21/22 quae vulgata exhibet rectissime: *ὅτε καὶ τὸν περὶ τῶν προβάτων λόγον ὁ Δημοσθένης, ὡς τοῖς λύκοις τοὺς κύνας ἐξέδωκεν, διηγησάμενος αὐτὸν μὲν εἴκασε . . . .*, pessime N corrupit: . . . *ὁ Δημοσθένης προσῆψε τῷ δήμῳ ἃ τοῖς λύκοις τοὺς κύνας ἐξέδωκε, καὶ διηγούμενος αὐτὸν μὲν εἴκασε κτλ.* Quam absurda interpolatione — nempe eo consilio facta, ut facilior reddatur haec sententia ad intellegendum — interiecta sint illa verba

προσῆψε τῷ δήμῳ ἃ . . . . ., vel inde cognoscas, quod iam hiatus exstat inter δήμῳ et ἅ. Non minus falso pro διηγησάμενος aoristo positum est διηγούμενος. — XXIII, 24 vulgatae ordinem Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Μακεδόνα μονόλυκον προσηγόρευσε in N perperam mutatum esse in: τὸν δ' Ἀλέξανδρον Μακεδόνα μονόλυκον προσηγόρευσε Stegmann quoque (l. c.) affirmat: „so wenig Demosthenes sich und seine Genossen als κύνες Ἀθηναῖοι bezeichnet, so wenig hat es Sinn, von einem speziell makedonischen μονόλυκος zu reden.“ — XXIII, 24 pro Δημάδης N posuit Φωκίων, quod Blass (l. c.) quoque prorsus comprobavit, quamquam quin pessime sit substitutum, dubium mea quidem sententia esse omnino nequit. Primum, quodsi modo dictum est Demadem se obtulisse ad novam legationem suscipiendam, ut illorum virorum libertatem ab Alexandro impetraret, atque pergitur ἔπεισε δ' οὖν καὶ παρῃτήσατο τοὺς ἄνδρας, ad quem vero alium pertinere possunt haec verba nisi ad ipsum Demadem? Quidnam hoc loco Phocion sibi vult, qui omnino non commemoratus est antea? Immo unum Demadem fuisse, qui precibus suis Alexandro persuasit, ut ira desisteret, ab aliis quoque scriptoribus docemur, cfr. Libanii orat. XV, 42 δεξάμενος δὲ (sc. Ἀλέξανδρος) πρεσβείαν εἴασε καὶ τηλικαύτην χάριν ἔδωκε Δημάδῃ τῷ Δημέου; imprimis autem Diodor. XVII, 15, cuius verba, quin accurate hoc loco afferam, facere nequeo: ἐπὶ τελευτῆς δὲ Δημάδης πεπεισμένος ὑπὸ τῶν περὶ Δημοσθένην, ὥς φασι, ἑ ταλάντοις ἀργυρίου, συνεβούλευε μὲν σώζειν τοὺς κινδυνεύοντας, παρανέγνω δὲ ψήφισμα γεγραμμένον φιλοτέχνως· περιεῖχε γὰρ παραίτησιν τῶν ἀνδρῶν καὶ ἐπαγγελίαν τοῦ κολάζειν κατὰ τοὺς νόμους ἂν ὦσιν ἄξιοι τιμωρίας. ὁ μὲν οὖν δῆμος ἀποδεξάμενος τὴν ἐπίνοιαν τοῦ Δημάδου τότε ψήφισμα ἐκύρωσε καὶ τὸν Δημάδην μεθ' ἑτέρων ἀπέστειλε πρεσβευτὴν πρὸς τὸν βασιλέα . . . . . ὁ δὲ Δημάδης πρεσβεύσας καὶ τῇ τοῦ λόγου δεινότητι πάντα κατεργασάμενος ἔπεισε τὸν Ἀλέξανδρον ἀπολῦσαι τοὺς ἄνδρας τῶν ἐγκλημάτων καὶ τἆλλα πάντα τοῖς Ἀθηναίοις. De tota hac re cfr. Schaefer, Demosth. und seine Zeit. III ^{2}, p. 136—142. Iam igitur denuo nobis confirmatur, quantum in ipsis propriis nominibus commutandis N peccaverit. — XXIV, 15 utrum ante ἐκ τῆς πόλεως ponamus εὐθὺς an cum N post, ad ipsam rem nihil attinet, nisi dixerit quis plus ponderis huic verbo accedere,

si scriberetur: ἐκεῖνος μὲν οὖν εὐθὺς ἐκ τῆς πόλεως ᾤχετο. — XXV, 2 articulus τὰς ante Ἀθήνας in vulgata rectissime stat, omittitur in N; cfr. Lindskog, l. c. p. 3 adn. ad vers. 12: „in usu articuli apud nomina propria neque Plutarchus certas normas sequitur et librarii valde dissentiunt, nunc articulum iniuria omittentes, nunc recentiorum Graecorum more intrudentes.“ — XXV, 3 pro ἀσωτίαν substituit N ἀπιστίαν, quamquam illud aptissimum est saepiusque a Plutarcho adhibetur; sed quia non ita usitatum videbatur huic scribae esse, notiore voce ἀπιστίαν permutavit, cui expediendi rationi eum studuisse iam saepius cognovimus. — De XXV, 24 καθελιξάμενος et XXVI, 22 sqq. λέγεται γὰρ κτλ. infra pauca dicam. — XXV, 33 χρημάτων ὧν perperam mutavit N in χρημάτων ἅ. Prorsus idem vitium exstat Crass. XVIII, 17, ubi cum vulgata et Ps.-Appiano N exhibet τῶν ἀγώνων, οὓς ἠγωνίσαντο, contra Seitenstettensis τῶν ἀγώνων ὧν ἠγων., de qua re Ziegler, Überl.-Gesch. p. 74, sic iudicat: „. . . . . Doch könnte es auch sein, daß Plutarch, um die mißklingende Assonanz ἀγώνων ὧν zu vermeiden, diesmal die — sonst wohl näherliegende — attrahierte Konstruktion verworfen und οὓς geschrieben hat.“ At Lindskog docet (l. c. p. 21 adn. ad vers. 19): „assonantia amare Plut. videtur“ permultaque huius rei affert exempla. Iam illud ipsum exemplum, χρημάτων ἅ, aperte demonstrat non, ut assonantia evitaretur, sic esse scriptum, immo optimo iure interpolatoribus utramque mutationem vitio vertemus. — XXV, 35/36 vulgata habet: πλὴν τῆς Καλλικλέους . . . . . Μόνην γὰρ τὴν τούτου . . . . . οὐκ εἴασαν ἐλεγχθῆναι, cum in N legatur: πλὴν τῆς Καλλικλέους . . . . . μόνης· τὴν δὲ τούτου κτλ. Tamen primum in priore enuntiato μόνης prorsus superfluum est, in initio autem alterius multo maiorem habet vim; deinde γὰρ melius quadrat ad sensum quam δέ; tum vero antecedentia verba absurde in N sic leguntur: πλὴν τὰς Καλλικλέους τῆς Ἀρρενίδου pro πλὴν τῆς (sc. οἰκίας) Καλλ. τοῦ Ἀρρεν., quod ipsum suspicionem movet ne cetera quidem recte esse scripta; denique licet in mentem revocare saepissime Matritensem ipsas ς et ν litteras obmutare. — XXV, 37 non bene N pro ἔνδον οὔσης collocavit οὔσης ἔνδον. De Θεόφραστος pro Θεόπομπος in N substituto, conferas, quae p. 24 de XIV, 16, ubi idem invenitur error, disserui. — XXVI, 9 οὐ μακρὰν τοῦ ἄστεος φεύγων aeque apte

stat atque Matritensis *οὐ μακρὰν φεύγων τοῦ ἄστεος*. — XXVI, 13 pluralis *ἐφόδια* multo usitatius est quam singularis, quem N exhibet, *ἐφόδιον*, et apud ceteros scriptores et apud Plutarchum, cfr. Cim. X, 1; Cic. ILI, 8; Dion XXV, 5; Dion. et Brut. comp. I, 15. — XXVI, 19/20 *καθεζόμενος* non minus recte positum est quam, quod N habet, *καθήμενος* (cfr. de superstit. 8). — XXVI, 21 pro *ὁμολογούσας* habet N *ὁμολογουμένας*; sed media forma vi consentiendi instructum rarissime invenitur; apud Plutarchum in vitis nunquam, ter in moralibus scriptis. Videtur mihi *ὁμολογουΜΕΝΑC* ortum esse propter *εὐγνώ ΜΟΝΑC*. — XXVII, 15 pro *τὸν μὲν* perperam scripsit N *τότε*; egregie enim exstat hoc loco articulus cum *μὲν* coniunctus, quod vel ex antecedentibus *τοῦ μὲν ὑπὲρ τῶν Μακεδόνων, τοῦ δ' ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων λέγοντος* perspicias, vel ex sequentibus verbis *τὸν δὲ Δημοσθένην*. Quin ne id ipsum quidem (sc. *τότε*) traditum est in N, quod apud Graux legitur, potius *τότε τῶν* (corr. alt. man. in *τόν*); quare certissimum est non vulgatam hoc loco, sed Matritensem errasse. — XXVII, 18 rectissime vulgata perhibet *στρέψαι*, cum in N legatur *τρέψαι*; cfr. Plat. Gorg. 511 *A ὅπῃ στρέφεις τοὺς λόγους ἄνω καὶ κάτω*. — XXVIII, 3 superflue inseruit N — perspicuitatis nimirum causa — *μηνὸς* post *Μεταγειτνιῶνος μέν*. — XXVIII, 20 male *ἀποσπάσας* posuit N post *ἔπεμψεν*. — XXIX, 13 verba *μετ' ὀργῆς* ante *τοῦ Ἀρχίου* in N interiecta stulto interpolatori tribuenda esse censeo. — XXIX, 25 multo magis, quippe quod tabificam veneni vim acrius effingat, mihi *κρατοῦντος* placet quam Matritensis vulgare illud *νεκροῦντος*, quod inusitatius verbum ac magis poetice dictum loco demovit, id quod admirationem nobis non iam affert. — XXIX, 26 *διαβλέψας* rectissime stat (cfr. Alex. XIV, 9 *καὶ διέβλεψεν εἰς τὸν Ἀλέξανδρον*) neque est, cur librum N sequamur scribentem *ἀποβλέψας*. — XXIX, 28 N exhibet *τουτί* pro *τοῦτο* et XXIX, 30 *νεὼς* pro *ναός*, quas Atticas formas vere Demosthenicas esse Graux censet; sane quidem; num vero Plutarchus quoque tantopere operam dederit, ut veram ipsam Demosthenis dialectum redderet, longe alia mihi videtur res esse neque prorsus dubitationis expers, cum conferas Demosth. XI, 13 *τούτων*; XI, 29 *αὕτη*. — Cur Matritensis *ἐξίσταμαι* rectius sit scriptum quam *ἐξανίσταμαι*, non video. — XXX, 2 pro *λαβεῖν φησι* non melius collacavit N *φησὶ λαβεῖν*. — XXX, 9

utrum *χρυσόν* scripserit Plutarchus an, quod N praebet, *χρυσίον*, vix poterit diiudicari. — XXX, 13 *φησὶ* habet N post *δέ*, vulgata post *κρίκῳ*, quod magis mihi placet, quia vox *κρίκῳ*, de qua maxime hoc loco agitur, melius ita effertur. — XXX, 14 vulgata exhibet *περιβραχιόνιον*, quod adiectivum hoc uno loco invenitur propterea que, etsi rectissime est formatum nec non bene quadrat ad sententiam, displicuit scribae libri N, qui substituit *περὶ τὸν βραχίονα*, quod Graux commutavit in *περὶ τῷ βραχίονι* (at cfr. Xen. Anab. IV, 5, 36 *περὶ τοὺς πόδας περιειλεῖν*). Sed quin vulgatae lectio comprobanda sit, non est dubium. — XXX, 16 aoristus *ἐπεξελθεῖν* multo aptior est quam Matritensis *ἐπεξιέναι*. — XXX, 26 perperam ac prorsus inepte pro *ἐπεγράφη* scripsit N *ἐπιγραφῆναι*. Nunquam ita Plutarchum scripsisse mihi persuasum est, ut primum de statua, deinde de praebitione cibi, tum rursus de statuae inscriptione referret. Nec non tradita nobis sunt, quae in isto Atheniensium decreto fuerunt, cfr. Ps.-Plut. vit. dec. or. 847 D et 850 F: *Δημοχάρης Λάχητος Λευκονοεὺς αἰτεῖ Δημοσθένει τῷ Δημοσθένους Παιανιεῖ δωρέαν εἰκόνα χαλκῆς ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ καὶ προεδρίαν αὐτῷ καὶ ἐκγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ*. — XXX, 27 in vulgata leguntur haec: *εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες*, cum N praebeat: *εἴπερ ἴσην γνώμῃ ῥώμην, Δημ., ἔσχες*. Videamus, quomodo a ceteris scriptoribus, qui huncce versum tradiderunt, memoria conservata sit. Ps.-Plut. vit. dec. or. 847 A habet *ῥώμην γνώμῃ*, idem apud Photium exstat Bibl. cod. 265 in codice A, quamquam ex ceteris libris manuscriptis Bekker in textum posuit *γνώμῃ ῥώμην*; denique Suidas (s. v. *Δημοσθένης*): *ῥώμην γνώμῃ*. Et Photius et Suidas imperfectum *εἶχες* tradunt, cum unus Ps.-Plut. scripserit *ἔσχες*. Quae cum ita sint, dubitationis vix aliquid relinquitur, quin vulgatae lectio: *εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημ., εἶχες* una vera sit conservata. Ceterum vox *ῥώμην*, quae plurimum valet in hac sententia, hac ipsa collocatione optime effertur. — XXXI, 1 pro *μικρὸν* N scripsit *μικρῷ*, quod quidem non falsum est, sed cum omnino minus saepe, tum apud Plutarchum prorsus nusquam invenitur, quodsi Wyttenbachio (Lex. Plut. p. 558) fidem habere licet. — XXXI, 2 *λέγεταί τι τοιόνδε συμβῆναι*, ubi N *τὸ* scripsit pro *τι*, nihil habet, quod offendet; cfr. Mar. XIV, 12/13 *ἧς καὶ τοιόνδε τι δεῖγμα λέγεται*. — XXXI, 13 non est, cur pro

φυομένης ex N recipiamus *μισουμένης*, quod iam inde suspiciosum fit, quia articulus *τῆς* in N omissus est, id quod perperam Graux probavit. — XXXI, 14 *ἐκολάκευσεν* male substituit N pro *ἐκολάκευεν*; nam quin imperfectum peraccommodatum sit huic sententiae, quis dubitet? —

Hactenus fuerunt, quae de Demosthenis vitae memoria dicere volui neque iam opus est Ciceronis quoque vitam perscrutari. Haec autem sunt, quae effecisse mihi videor: prorsus falso ii iudicant, qui in illa vita Matritensi libro excelsiorem prae ceteris codicibus locum concedere volunt. Is vero, quem Caroli Graux editio praebet, contextus (nihil de commentario dico!) in ipsis fundamentis constituendis turpissime labitur, ita, ut facere ego quidem nequeam, quin errati loco ducam talem recensendi rationem, utpote quae non nisi regressum mihi videatur efficere; utinam ne iterum textus Plutarcheus tota ista sorde onustus in pravum detorqueatur. Immo nulla alia ratione in Demosthenis (atque Ciceronis) vita hic codex adhibendus est nisi qua Lindskog utebatur in Agesilao et Pompeio edendis. Paululum tantummodo supra vulgatam interdum in his duobus paribus N se effert; 150 fere locis in Demosthenis vita Caroli Graux textus consentiens cum N differt a Sinteniano; omnes ipse diligenter exploravi neque tamen plus fere 15 inter eos mihi occurrerunt, quibus Matritensis lectionem comprobarem, et hi vero admodum levis sunt momenti. Sequitur autem ex tota hac ratiocinatione necessarie hocce: non in Matritensis memoria, sed una in vulgata nitatur harum duarum vitarum contextus recensio critica; quomodo vero liber N adhibendus sit, docent, quae iam attuli, verba C. Th. Michaelis: „Matritensi libenter utamur, quotiescumque ceteris libris manifesto corruptis bonam protulit lectionem," et haec subsidiaria opera cum in tolerandamque lectionem," et haec subsidiaria opera cum in Agesilai-Pompei, tum in Demosthenis-Ciceronis vitis satis raro flagitatur.

Iam ad finem hanc quaestionem mihi videor perduxisse. Prorsus igitur lectionibus confirmatum est, quod ex ipsa huius codicis compositione satis certo potuit concludi. Cum adhuc Agesilaum-Pompeium tantummodo secluderent viri docti a tribus ceteris paribus, nunc eluxit inter Alcibiadis et Demosthenis vitam necesse esse incidamus, ita, ut ea pars huius libri, quem una manus exaravit, rursus divisa sit in duas particulas, quarum prior Niciam-Crassum complectens et Alcibiadem-Coriolanum plane seiungenda est a posteriore, quae Demosthenem-Ciceronem et Agesilaum-Pompeium continet. Unde quid efficeretur ad textum constituendum, iam docui. Alterum autem neque id minus grave ex iis, quae de Matritensis compositione cognovimus, colligi potest, quod eam quaestionem, a qua hanc commentationem inchoavimus, plane decernit. Velim memineris p. 10 me dixisse totam Ziegleri, qua utitur in generis tripartiti vetustate et virtute comprobanda, argumentationem positam esse in ea sententia Matritensem ortum esse e genere tripartito, quippe qui contineret vitas Niciae, Alcibiadis, Demosthenis, quae eaedem invenirentur in fine libri primi generis tripartiti. Ex iis autem, quae nunc de hac re compertum habemus, falsam esse illam sententiam docemur, quam propter Agesilaum praeter vulgarem ordinem ceteris adiunctum non ita tuto conditam esse a primo quis opinatus sit. Demosthenem enim cum antecedentibus duobus paribus coniungere iam vetitum est, quia una cum Agesilao ex tripartito genere deducendus est, etsi ordinem veterem haec duo paria non servaverunt, id quod in quarti decimi saeculi libro tam neglegenter confecto nihil habet miri saepissimeque in aliis recentioribus codicibus fieri solet. Sed cum in hac posteriore particula Matritensis adeo sit inferior memoria Seitenstettensi, ut non ita multum vulgatam superet, ad hanc quaestionem ea quidem nihil valet. Restat igitur particula prior, in qua N cum vulgatam, tum pretiosum illum codicem Seitenstettensem longe vincit. Cuius ordo Nicias, Alcibiades sane quidem congruit cum tripartiti generis, ubi Niciam-Crassum excipit Alcibiades-Coriolanus; sed nonne prorsus idem ordo invenitur in bipartito genere? Nonne ibi quoque Alcibiadi Nicias antecedit (cfr. p. 8)? Cuius igitur generis iam est haec particula! Ex utroque potest desumpta esse, quia, quem praebet, vitarum ordo et cum tripartiti et cum bipartiti consentit; in medio igitur adhuc versatur. Age porro, quo examen inclinaturum sit, videamus. Iam si quis lectionum haberet rationem, Ziegler ipse dilucide demonstravit, in hac particula Matritensi cum ceteris vulgatae libris rem omnino non esse, utpote qui nullum cum illa communem haberet locum corruptum. Ergo, quod ad lectionum memoriam attinet, longe a tripartito genere semovetur, ut

ne minimum quidem neque bonis neque pravis lectionibus cum eo cohaereat, immo, ut mox elucebit, magis magisque appropinquat ad alterum genus. Sed iam paulo accuratius hanc rem liceat introspicere. Quae inter Seitenstettensem, Matritensem, genus tripartitum (*Y*, = vulgatam) interessent rationes, certissime demonstravit Ziegler (cfr. p. 11).*) Tres afferuntur ab eo (Überl.-Gesch. p. 73) loci, quibus evidenter vincuntur N vulg. a S:

Crass. IX, 21 *φοίριον* recte S] *φροίριον* N vulg.
X, 41 *στρατιᾶς* recte S] *στρατείας* N vulg.
XIV, 11 ἧ recte S] ἦ N vulg.

Unum est, quod adiciatur: Crass. XVIII, 17 *ἀγώνων ὧν* recte S] *ἀγώνων ἆ* N vulg. Ps.-App. (cfr. p. 29).

Quin ex his nugis prorsus nihil in hac re lucremur, procul dubio est, ne minimum quidem de Seitenstettensis vetustate possunt ostendere. Contra exstant plus centum loci, quibus rectam lectionem N vel unus vel cum Ps.-Appiano consentiens conservavit, cum una cum vulgata corruptus sit S. Totiens igitur N vulgatam superat cum S coniunctam! Quaenam autem est ratio inter S et vulgatam? Meyer in dissertatione (p. 46) eos affert vitae Crassi locos, quibus libro S vulgata est inferior: sunt omnino decem, de quibus Ziegler haecce dicit (Überl.-Gesch. p. 72): „Gehen wir sie durch und vergleichen wir sie mit N, so ergibt sich, dass in allen Fällen in N ebenfalls das Richtige steht!“ Praeterea decem locos contulit Ziegler, quibus posset forsitan fieri, ut libri S lectiones essent praeferendae iis, quae Matritensi et vulgatae communia esse adhuc videbantur (cfr. Plutarchstud. Rh. M. 63, p. 249): iam vero ex his quinque inveniuntur etiam in N (Plutarchstud. p. 253 PS.), quos a N et S simul traditos recte stare nempe pro certo potest affirmari. Deinde Ziegler (Plutarchstud. p. 249/250): „Zur Vervollständigung der vergleichenden Übersicht füge ich noch die Stellen hinzu, wo S gegen *Y* und z. T. auch Appian stimmt“, — sunt omnino 34, ex quibus quattuor corrupti sunt; quamquam non ex eodem

*) Inde nimirum tantummodo, ubi et Seitenst. et Matrit. et vulgatae memoriam possumus conferre, id est ex una vita Crassi paucisque eis Niciae vitae capitibus extremis, quae etiam exstant in Seitenstettensi libro, petenda sunt, quae ad hanc quaestionem disceptandam iuvant.

fonte fluxerunt haec vitia, immo ita res se habet, ut ex libri N archetypo in S sint translata. Efficiuntur igitur ad hanc quaestionem haec: plus centum locis N recte stat adversus S gen. trip. (= vulg.), undequinquaginta (4 + 10 + 5 + 30) locis S vulgatam antecedit idque ita, ut praeter quattuor illos, quos p. 34 enumeravi, omnibus plane cum N congruat S. Hoc autem est, quod ostendere volui. Perlongum sane quidem est spatium, quod inter N distat et archetypum S genus trip., perlongum vero id quoque, quo S et gen. trip. disiunguntur. Quare etiamsi longe abest codex S, ut Matritensis eximium pretium assequatur — non nisi de prima particula me dicere memineris —, tamen, ubi ipse quoque vulgatam vincit, prorsus facit cum N. Quodsi quaerimus, ad utram propius Matritensis liber accedat memoriam, hoc quidem pro certo constat, multo plus quam vulgatam genus bipartitum (S) conservasse adhuc nitoris illius, quem N praestat, ac virtutis. — Iam vero, unde aberravit, redeat oratio. Plane ad veri accedit similitudinem summam recte nos hanc ipsam Matritensis particulam ad genus bipartitum referre. Prorsus autem decernitur tota haec controversia, ubi primum codicem ipsum rursus inspicimus. Reminiscaris quaeso me de miris tamquam cuiusdam tituli novae, quam exarandam sibi scriba proposuerat, vitae inscripti reliquiis supra rettulisse (p. 12). Agnoscitur in codice N post ipsam vitam Coriolani exeuntem medio in folio 81 v inscriptionis loco vox *Λύσανδρος*. Neque tamen hanc Lysandri vitam scriba — nescio qua causa — confecit, immo medio in folio, postquam Coriolanum descripsit, substitit. Deinde denuo in novo folio alteram exaravit codicis partem (Demosthenis scilicet — Ciceronis et Agesilai — Pompei vitas) novam incipiens quaternionum numerationem. Unde satis certo possumus colligere in eo, quo usus est in describendo, exemplo, fuisse post Alcibiadem — C. Marcium vitam Lysandri. Fuit igitur in eo ordo vitarum hicce: Nicias, Alcibiades, Lysander. Ubi autem legimus easdem vitas eodem ordine redactas? In genere bipartito, quod post Niciam Alcibiademque exhibet Lysandrum! Ergo facere nulla ratione possumus, quin generis bipartiti esse hanc Matritensis libri particulam primam prorsus pro certo constituamus. Generi bipartito igitur omnes eius virtutes attribuendae sunt, ita, ut in eo iam duos habeamus singularis

pretii libros. Nunc vero velim rursus aspicias codicum stemma (p. 10) et quae Ziegler de eo disputavit. Cuius ratiocinatio haec erat: quia N ad tripartitum genus (*Y*) pertinet, etiam I et II fuerunt huius generis libri, unde sequitur, ut genus bipartitum (x) aliquando ex illo derivatum sit. Quam argumentationem plane prolabi modo evicimus, quippe quam a prava proficisci opinione demonstraverimus: in generis bipartiti librorum numero ponendus est N, non in tripartiti. Itaque nos quidem ex illo stemmate haec nimirum colligimus: cum codex N pertineat ad bipartitum genus, necesse est et II et I fuerint ex eodem genere bipartito, ita, ut ex hoc ipso genus tripartitum derivatum esse pro certo sit statuendum. —

Postquam alterum, quo nitebatur Ziegleri argumentatio, columen subrutum iacet, iam restat, ut alterius firmitatem periclitemur (cfr. p. 10). Excutitur Überl.-Gesch. p. 36—42 ea ratio, quae intersit inter Photii excerpta et Plutarcheorum codicum memoriam. Quoniam constat exscripsisse Photium eiusdem vitarum ordinis codicem, qui in genere bipartito legitur, inquirit Ziegler, numquid, quas exhibet Photius, lectiones docerent de vetustate illorum duorum generum, censetque nos de hac quaestione vix quid certi efficere posse, „wenn nicht wiederum hier der stets hilfsbereite Matritensis in die Bresche spränge und den Ausschlag gäbe durch zwei ausgezeichnete Lesarten, mit denen er alle übrigen Hss. samt Photius schlägt. . . . . . Demosth. c. XXVI, 22 ff. (Sintenis ed. mai. = IV, 232, 26 ff. ed. min.) geben alle Hss. und Photius: *Λέγεται γὰρ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπαλλαττόμενος καὶ πρὸς τὴν ἀκρόπολιν ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰπεῖν· „ὦ δέσποινα Πολιάς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις, γλαυκὶ καὶ δράκοντι καὶ δήμῳ;“ τοὺς δὲ προσιόντας αὐτῷ καὶ συνδιατρίβοντας νεανίσκους ἀπέτρεπε τῆς πολιτείας λέγων ὡς κτλ.* Hier ist an sich nichts anstössig, aber zweifellos besser und allein richtig (auch von Ch. Graux akzeptiert in seiner Demosthenes-Ausgabe . . . . .) ist, was N gibt (. . . . .): *ἀποτρέπειν* statt *ἀπέτρεπε*“ (p. 39). Neque vero aut ipse contextus verborum aut ea, quae Ziegler affert, argumenta ulla ratione possunt demonstrare infinitivum huic loco aptiorem esse imperfecto. Intellegere ego quidem prorsus nequeo, qua causa adductus ad eam audaciam Ziegler processerit, ut (p. 40) diceret:

„Jedenfalls ist der Infinitiv als die richtige Lesart gesichert.“ Talis critica ratio ei, qua Matritensem adhibendum esse Überl.-Gesch. p. 92 ipse admonet, cautioni plane adversatur atque repugnat. Ne unum quidem exstat momentum, quod formam *ἀποτρέπειν* magis commendet; potius et infinitivus et imperfectum aeque recte stant, quamquam hoc ego quidem utique praetulerim, quippe quo languidus iste et claudicans verborum continuatio evitaretur; cfr. paulo ante, Demosth. XXVI, 11: *λέγεται . . . . . ἔτι μᾶλλον ἀνακλαύσασθαι τὸν Δημοσθένην καὶ εἰπεῖν. „. . . . .“; ἤνεγκε δὲ τὴν φυγὴν κτλ.*; contra infinitivum invenias Demosth. XI, 10, ubi una eademque enarratio uno orationis circuito continuatur.

Relinquitur altera lectio, Demosth. XXV, 24 (= IV, 231, 18 ed. min.), „wo Photius und alle Handschriften das richtige *καθελιξάμενος* in *κατελιξάμενος* verderbt haben“ (p. 40). Qua lectione recte tradita, quin N vincat et bipartitum (Photium) et tripartitum genus, dubium equidem non est. Sed ne illud quidem quisquam dubitabit, quin scribarum erroribus tale vilissimum vitium illatum sit in libros manuscriptos, quod ex communi fonte derivare non magis licet quam in istis quattuor locis corruptis, quos p. 34 attuli (cfr. Lindskog, Berl. phil. Wochenschr. no. 12 [1908], p. 353). Quare caveas, ne Matritensis virtutem hoc uno loco innisam adversus Photium defendas, praesertim cum recensionis bipartitae in vita Demosthenis unum testem Photium nobis exstare rationem habeas. Quin habemus, cur olim etiam in bipartito genere rectam formam *καθελιξάμενος* fuisse credamus. Codex enim Parisinus 1673 (C) mirabilem saepe praebet cum Photio consensum: cfr. Ziegler, Überl.-Gesch. p. 137, qui septem affert locos affinitatem aliquam aperte docentes: „von diesen sind zwei bedeutungslos, jeder der fünf anderen ist für sich allein schon auffallend genug, alle zusammen beweisen sie schlagend, dass irgendein engerer Zusammenhang zwischen C und der Quelle des Photius bestanden haben muss“ (p. 138). Atqui mirum in modum lectio *καθελιξάμενος* uno omnium tripartiti generis codicum in C invenitur, et cum respiciamus paulo ante, Demosth. XXII, 25, etiam consensum esse insignem inter C et Photium (*τῶν τυραννικῶν καὶ βασιλικῶν*), nimis nos errare non existimo, cum non multum ante Photium genus bipartitum habuisse etiam incorruptum illum locum. —

Haudquaquam igitur Zieglero contigit, ut contra Photii memoriam Matritensis virtutem comprobaret. Ergo summum ex iis, quae de Plutarcheis libris manuscriptis adhuc disputavi, consequitur hoc: prius est unum genus bipartitum, quod temporum ordine diligentissime conservato vitas redegit, posterius tripartitum, quod mixtum vitarum ordinem praebet et vitiosum. Quibus temporibus quaque ratione tripartitum a vetere ordine diverterit, infra videbimus.

Iam longam eamque interdum satis spinosam viam emensi ad certissimum atque tutissimum finem pervenimus, ex quo veluti ex specula longe prominente licet circumspicere, exstentne etiam aliae viae vel viarum vestigia, quae ad eundem, quo perducti sumus, finem ferant denuoque nos recto itinere migrasse confirment. Age dum ad ea, unde orsi sumus, redeamus, dico ad vitarum ordinem, quem alium exstare in alio codicum genere velim memineris. Cum genus bipartitum ad temporum ordinem ita sit redactum, ut virorum Graecorum deinceps aetatis habita sit ratio, in altero, tripartito genere complures disponendi leges rationesque cognosci supra significavi, ita, ut iam nostrum sit accuratius hanc ipsam quaestionem de integro introspicere. In serie 1—10 (cfr. p. 9) omnium Atheniensium vitae temporum ratione accuratissime ac sine ullo errore dispositae afferuntur, ita, ut iam rerum gestarum redactoris scientiae aliquantam fidem habeamus. Continuo tamen hac spe fallimur, sequitur enim par Dion-Brutus, cum non intellegas, cur in hoc ipsum ille inciderit. Optime vero Dioni adiungitur Timoleon. Quid autem proximo loco Eumenes sibi velit, prorsus ambiguum est. Deinde ad Philopoemenem inopinato transsilimus, quem praeter omnem exspectationem Pelopidas subsequitur. Denique audaci saltu ad Alexandrum pervenimus. Quodsi hasce vitas animo perlustramus, ne unum quidem redigendi rationis vestigium invenimus, ne temporum quidem cuiusque Graeci, quae in Atheniensium ordine diligentissime ab hoc redactore observata esse vidimus. Haec diversitas igitur imprimis admirationem nobis affert eoque maiorem, quod iam Alexandrum aptissime sequuntur Demetrius, Pyrrhus, Aratus, Agis/Cleomenes. Etsi iam dudum hic redactor

plane desiit patriam cuiusque viri respicere in vitis ordinandis — id quod omnino ab initio alienum suscepit et incommodum —, tamen, quomodo alius alii successerit in rebus gestis, in hac serie consideravit, ita, ut temporum quoque ordinem rursus accurate conservaret. Cum Agide et Cleomene Lacedaemoniis apte coniunguntur Lycurgus, Lysander, Agesilaus, ubi sane quidem id, ad quod ab initio videbatur animum maxime intendisse, scilicet, ut cum nationum, tum temporum rationem, plane videtur — ut iam inde a pari 14 — neglexisse. Itaque identidem in hoc vitarum ordine animadvertenda est discrepantia quaedam disponendi; modo rectissime tempora cuiusque observata sunt, modo hanc rationem omnino non videtur respexisse, ita, ut Agidem ante Lycurgum poneret. Qui fit, ut is, quem parum perite interdum vitas redigere vidimus, longam illam Atheniensium seriem tam accurate in rectum ordinem adduxerit? — Atque prorsus nihil studuit, ut, ubi eiusdem nationis viros congregavit, hanc seriem aliqua ratione coniungeret cum proxima eodem modo ordinata; immo longe afuisse, ut tantam subtilitatem adhiberet, iam supra intelleximus. Omnino mirum est, quod Lacedaemonios sub fine demum attulit, quos cum Atheniensibus apte equidem subiunxisset. Quapropter non assentior Zieglero, qui de Agidis Cleomenisque collocatione haecce disserit (Überl.-Gesch. p. 24): „Aus der Absicht, Agis-Kleomenes als verbindendes Mittelglied zwischen der chronologischen Reihe 16—19 und der national-chronologischen Reihe 21—23 zu benutzen, wird die auffällige Verstellung der beiden letzten Spartaner-Helden erklärlich, welche doch eigentlich ans Ende der Spartanerreihe gehörten.“ Certe hoc aliam habet causam eandemque, quae cetera quoque perplexa nobis dissolvet. Totam enim quaestionem uno neque alio modo facile absolvi posse existimo, cum hunc, quem nunc tractavimus, ordinem derivatum esse ponamus ex genere bipartito, in quo vitas solo temporum ordine dispositas esse memineris. Qua ex serie redactor ille generis tripartiti primum a principe Theseo orsus omnes Athenienses elegit, quos tali modo recte afferri necesse est. Deinde — prius volumen exhausisse fortasse sibi visus — ex initio alterius voluminis Dionem et Timoleontem sumpsit, quibus, qua erat imprudentia, Eumenem addidit et Philopoemenem et Pelopidam,

— Epaminondae-Scipionis Africani maioris vitae tum, cum tripartitum genus exortum est, iam interierant, id quod circa quingentesimum annum, cum pro voluminibus codicibus librarii uti coeperunt in libris describendis, factum esse verisimile est. — Deinde denuo alterum perscrutatur volumen et, postquam Alexandro adiunxit Demetrium, Pyrrhum, Aratum, Agidem/Cleomenem, in his extremis duabus vitis Lacedaemoniorum reminiscitur et rursus ab initio prioris libri orsus, quae restant, conquirit vitas, Lycurgum, Lysandrum, Agesilaum.

Sic fere tripartiti generis ordinem ortum esse animo mihi effingo. Vix addere oportet, quam longe absit, ut credam hanc ipsam, quam descripsi, rationem illum redactorem adhibuisse in novo vitarum ordine conficiendo: potius quam salebrosis tortisque viis errores iste volvisset adumbrare volui. Iam omnia nunc intelleguntur, quae modo obscura fuerunt. Stultissimus vero rerumque gestarum parum peritus librarius aliqua re adductus est, ut novo ordine vitas redigeret; neque tamen plane ei contigit, ut inscientiam suam ac levitatem celaret; immo aperte per totum hoc vilissimum opus perlucent; quae autem in hoc ordine utique inscite confecto apparent bona et recta, ea non ipse sibi debuit redactor, sed ei vitarum ordini, quem exscripsit pessimeque foedavit.

Quoniam, quae ex Matritensis codicis singulari natura de duorum generum aetate supra eviceramus, prorsus sustineri vidimus, si quis ipsum vitarum ordinem inquireret, iam circumspiciendum est, novumne aliunde opinionis nostrae firmamentum reperiamus. Quapropter ad parallelarum vitarum memoriae satis fidum testem velim animum attendas, dico ad Zonaram, cuius excerpta, quae ex Cassio Dione pleraque et Plutarchi vitis congesta esse inter omnes constat, quantum ad ipsum Plutarchum contextum eruendum valerent, diligentissime docuit Theod. Doehner, Analectorum Byzantinorum specimen primum (Quaestionum Plutarchearum particula quarta), Misenae 1853. Breviter Ziegler (Überl.-Gesch. p. 140—142) nonnullis exemplis allatis patefacit, quae inter Zonarae lectiones et libros Plutarcheos manuscriptos intersint rationes, unde cognosci potest egregia virtute illas esse conspicuas. Compluribus vero locis Zonaras ipsum Plutarcheorum codicum archetypum plane devincit. Tamen observes, quanto

propius ad Zonarae lectiones genus bipartitum accedat quam tripartitum: 17 locos affert Ziegler, quibus Zonaras rectam lectionem servavit; quinquies omnino vincit et bipartiri et tripartiti generis codices omnes, bis*) tantummodo cum tripartito genere facit contra bipartitum, cum novem (vel decem, cfr. adn.) locis contra illud cum hoc consentiat. Unde oritur ea quaestio, utrius familiae codicem Zonaras habuerit. Hoc enim vix quisquam contendat tertium exstitisse genus, id, quod eo minorem habet veri similitudinem, cum consideres non ita veterem fuisse Zonarae codicem, cfr. Überl.-Gesch. p. 140, adn. 2: „Hierzu stimmt die Tatsache, dass Zonoras nicht wenige Fehler mit unseren Hss. teilt, seine Hs. also gar viel älter als die unsrigen nicht gewesen sein kann.“ Utrius igitur generis fuit hic codex? De hac re Ziegler nihil dixit nisi (p. 142, adn. 1): „Der merkwürdige Umstand, dass in Zonaras' Plutarchhandschrift das Paar Coriol.-Alcib. wohl gefehlt hat (s. Doehner IV,2) darf uns also nicht zu dem Schluss verleiten, dass er ein Exemplar unserer Sammlung x gehabt habe.“ Nam credit nimirum Ziegler generis tripartiti illum habuisse aliquem librum, quippe quod unum ante nonum saeculum, quo altera ex altera familia emanavit, exstitisse putet. Sed prorsus ex praesumpto iudicio nata esset haec opinio, non ex hac ipsa re petita. Quare iam accuratius cognoscendum est, numquid colligere possimus de eo, quem Zonaras exscripsit, vitarum codice. Et sunt fortasse quaedam, ex quibus aliquid possit concludi, etsi sane quidem sat infirma, quae tamen mentione haud indigna sunt, praesertim cum neque Doehner neque Ziegler hanc quaestionem ullo modo tetigerint.

De fontibus Zonarae sagacissime egit Adolphus Schmidt, Über die Quellen des Zonaras (Zimmermanns Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1839, no. 30—36 = Zon. edit. Dindorf. vol. VI). „Selten, inquit, sehen wir das Studierzimmer eines Gelehrten so bücherkahl wie das des Zonaras“; hoc est, quod imprimis debet respicere is, qui de Zonarae fontibus disputaturus

*) Rom. XVII, 30 *αὐτὸ* ABc] *τὸ αὐτὸ* C Steph. Zon. nihil docet, quia C meram memoriam non praestat, immo mirabilem saepissime cum S et Photio praebet consensum; cfr. supra p. 37; Ziegler, Überl.-Gesch. p. 89, 114, 137. Stephanum vero habuisse codicem aliquem generis bipartiti inter omnes constat.

est. Iam in praefatione operis confitetur hic compilator (p. 5 D Dind.): *εἰ δὲ μὴ διηκριβωμένην τὴν περὶ ἑκάστου τῶν ἀναγραφομένων ἱστορίαν ποιήσομαι, νέμειν μοι συγγνώμην αἰτῶ ἐντευξομένους αὐτῇ· οὔτε γὰρ βίβλων ἴσως μοι εὐπορῆσαι γενήσεται ὅσαι μοι χρειώδεις εἰσὶ πρὸς τὸ σύγγραμμα, παρὰ τῇ ἐσχατιᾷ ταύτῃ ποιουμένῳ νυνὶ τὴν διατριβήν, οὔτε κτλ.* Rursus p. 9 D Dind. *ἐνδείαν βίβλων* queritur. Ex ea autem ratione, qua et Cassium Dionem et Plutarchum simul solet adhibere, prorsus potest perspici, utrum Plutarcheam ante oculos habuerit vitam an Dionem solum secutus sit: „Seine Grundlage ist offenbar Dio; nach ihm bearbeitet er den Zug der Ereignisse; sowie er aber zu der Wirksamkeit einer berühmten Individualität gelangt, deren Beschreibung im Plutarch enthalten ist, so benutzt er dieselbe, wofern sie sich in seinen Händen befindet, um die Dionischen Umrisse zu füllen. . . . Plutarch dient ihm gleichsam zur Ausstopfung“ (Schmidt, l. c.), vel, uti Doehner (p. 2) dicit: „ex Dione plerumque (sumit) narrationis tamquam ossa, sanguinem sucumve ex Plutarcho“. Unde vides, quam facile possit cognosci, num eius viri, quem tractavit, vitam Plutarcheam habuerit in manibus; neque enim ullam aliam causam eum commovisse, ut solum Dionem exscriberet, nisi quod ea ipsa vita ei praesto non fuit, nemo negabit. Exempli gratia procul dubio est, ubi permagna in eius opere hiat lacuna, inde a Corintho deleta usque ad principum Romanorum aetatem, quin neque Dioneos libros neque eas, quae ad haec ipsa tempora pertinent, Plutarchi vitas habuerit, praesertim cum ipse hoc loco de librorum inopia verbose conqueratur (p. 471 C D Dind.): *Τὰ μὲν οὖν μέχρι τοῦδε πεπραγμένα Ῥωμαίοις, βίβλων τυχὼν τῶν πάλαι ταῦτα ἱστορησάντων ἀρχαίων ἀνδρῶν, ἐκεῖθεν ἐξείληφα κατ᾽ ἐπιτομὴν καὶ τῷ συγγράμματι τούτῳ ἐντέθεικα, ἐπὶ δὲ τοὺς ἑξῆς ἃ τοῖς ὑπάτοις καὶ τοῖς δικτάτωρσιν ἐπράχθη μέχρις ἂν ταῖς ἀρχαῖς ταύταις ταῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ διῳκεῖτο τὰ πράγματα, μή μέ τις αἰτιῷτο ὡς ἢ καταφρονήσει ἢ ῥαθυμίᾳ ἢ ὄκνῳ ταῦτα παρελθόντα καὶ ἀτελὲς οἷον εἰακότα τὸ σύγγραμμα· οὐ γὰρ ῥᾳστώνῃ μοι τὰ λείποντα παρεώραται, οὐδ᾽ ἡμιτελὲς ἑκὼν τὸ πόνημα καταλέλοιπα, ἀλλ᾽ ἀπορίᾳ βίβλων αἵπερ αὐτὰ διεξίασι, καὶ ταῦτα πολλάκις ζητήσαντί μοι ταύτας, μὴ εὑρηκότι δ᾽ ὅμως, οὐκ οἶδα εἴθ᾽ ὅτι μὴ σώζοιντο, τοῦ χρόνου διεφθαρκότος αὐτάς, εἴθ᾽ ὅτι μὴ φροντιστικώτερον τὴν τούτων ἴσως ζήτησιν ἐποιήσαντο, οἷς αὐτὴν ἀνεθέμην,*

αὐτὸς ὑπερόριος ὢν καὶ πόρρω τοῦ ἄστεος ἐν νησιδίῳ ἐνδιαιτώμενος. Has res memoria tenentes si ea, quae l. c. Schmidt exposuit, perstringimus, pro certo potest affirmari has vitas Zonaram non habuisse:*)

[Alcibiades]-Coriolanus	[Lysander]-Sulla
Pyrrhus-Marius	[Eumenes]-Sertorius
[Pericles]-Fab. Maximus	[Cimon]-Lucullus
[Pelopidas]-Marcellus	[Nicias]-Crassus
[Philopoemen]-Flaminius	[Phocion]-Cato minor
[Aristides]-Cato maior	[Demosthenes]-Cicero
[Agis/Cleomenes]-Gracchi.	Galba, Otho.

Contra adhibuit Zonaras hasce vitas:

[Aratus]-Artaxerxes	[Solo]-Publicola
Alexander-Caesar	[Themistocles]-Camillus
[Timoleon]-Aemilius	[Agesilaus]-Pompeius
[Theseus]-Romulus	[Dion]-Brutus
[Lycurgus]-Numa	[Demetrius]-Antonius.

Agedum conemur in his vitis eum ordinem parallelarum vitarum reperire, qui in genere tripartito traditus est. Iam vides hoc nulla ratione fieri posse. Paene primi libri (cfr. p. 9) initium videmur recognoscere, at tamen obstat Lycurgus! Contra inspicias generis bipartiti ordinem (p. 8 I)! Si vitas a Zonara adhibitas temporum Graecorum ratione composueris, hic ordo efficitur: Theseus-Romulus, Lycurgus-Numa, Solo-Publicola, Themistocles-Camillus, Agesilaus-Pompeius, Dion-Brutus, Timoleon-Aemilius, Alexander - Caesar, Demetrius - Antonius, Aratus-Artaxerxes.

Agesilaus quidem et quae sequuntur vitae nullum certum ostendunt ordinem neque cum ullo tradito conveniunt. Sed statim primarum quattuor vitarum ordinis sub oculos cadit cum

*) Agitur nimirum praeter Pyrrhum et Alexandrum et Artaxerxem de Romanorum tantummodo vitis, quippe quae solae Zonarae usui esse potuerint, Graecorum vitas cancellis inclusas propterea addidi, ut, cum et in bipartiti et in tripartiti generis ordine harum solum habita sit ratio, facilius ab omnibus cognosci posset, num quis Zonarae cum altero genere exstaret consensus.

bipartiti generis similitudo! Prorsus videntur haec quattuor paria huius generis libri prioris initium praebere.*)

Iam igitur statuamus praeter nonnullarum vitarum incompositam congeriem habuisse Zonaram bipartitae familiae fragmentum. Quoniam autem ante eam aetatem, in qua seiungebantur hae duae codicum familiae, i. e. ante saeculum nonum, alterum tantummodo potuit exstare genus, necesse est, si recte Zonarae codicem, quem illorum generum archetypo vetustiorem esse Ziegler statuit, bipartito generi adiudicavimus, genus tripartitum post illa tempora demum ortum esse. Stemma idem esset atque p. 10 propositum est, ita quidem, ut pro N poneretur Zonarae codex. Tum hoc efficitur: cum Zonarae codex eiusdem generis fuerit atque bipartitum, fieri haudquaquam potest, quin libri II et I ad eundem genus bipartitum pertinere statuamus; ex quo genus tripartitum emanavit. —

Iam vero de hac seiunctione haud inutile mihi videtur paulo altius inquirere; quod ut fiat, velim rursus tibi proponas utriusque generis naturam atque condicionem: hic perspicuus et, ut ita dicam, naturalis parallelarum vitarum ordo temporum ratione curiosissime institutus, contra incondita illic ac prorsus ab inscienti librario congesta colluvies; tantopere in contraria abeunt hi ordines, ut etiam Ziegler adductus sit, ut diceret (Überl.-Gesch. p. 38): „Niemand hätte wohl für das klare chronologische System der Photiusausgabe, wenn dieses von Anfang an existierte, ein so verwickeltes, unübersichtliches und unauskömmliches Prinzip wie das unserer Überlieferung (sc. tripart. generis) einsetzen mögen.“ Perquam falso sane quidem, id quod Pohlenz quoque suo iure vituperat (p. 491), cui videbatur prius esse illud ipsum genus,

*) Utrum in genere bipartito Themistocles an Aristides quartum locum obtinuerit, quaestio est ambigua. In Seitenstettensi quidem libro legitur Aristides ante Themistoclem, in tripartito autem genere, quod ex bipartito derivatum esse cognovimus, Themistocles illi antecedit. Eiusdem Themistoclis vita et in Sopatri indice et in Lampriae catalogo una cum Theseo, Lycurgo, Solone affertur (de qua re infra dicendum erit). Praeterea si consideramus in ipsius codicis S fine veterem ordinem temporum ratione dispositum (cfr. supra p. 8) paulum turbatum esse (cfr. Nachstädt, Berl. phil. Wochenschr. no. 12 [1907], p. 358), haud scio an quarto quoque loco hic codex erraverit Aristidemque Themistocli per se ipsum anteposuerit, ita, ut in bipartito genere huic ille locus, quintus Aristidi esset vindicandus.

hoc autem recentiore aetate ortum. Tamen quis dubitet, quin rectum aliquid insit in Ziegleri sententia? Quidnam tandem istum hominem potuit permovere, ut novis legibus vitas ordinaret? Itane vero suamet rerum gestarum scientia nimis fretus ipsaque insolentia elatus veterem eumque ab omni vitio remotum vitarum ordinem destruxit, cui novum substitueret horribili structurae genere conditum? Nempe singularis fuit aliqua occasio, quae tantam commutationem exigeret. Sed dixerit quis plane tenebris obducta esse nobis quidem illa tempora, quibus ab altera librorum manuscriptorum familia altera segregata esset. Qua de causa iam paulo audaciores simus in inquirendo. Exstare enim mihi videtur vestigium, quo licebit fortasse de generis tripartiti origine aliquid expedire. Quod ut magis perspicias, de lectionum varietate Meyeri ratiocinationem secutus fusius necesse est referam. Disserit is (l. c. p. 4 sqq.) de generibus bipartito (x) et tripartito (*Y*), quae ex eodem archetypo emanasse modo demonstravit, huncce in modum: „primum quidem consentaneum est librarios, qui x et *Y* exararunt, sive oculorum lapsu seu calami alium alia menda admisisse. Quae species vitiorum levissima est, quam facillime cognoscamus; gravioris incusantur indiligentiae librarii, aut uterque aut alter, quod sescenties altera familia voculas quasdam omisit, quas altera servavit, imprimis articulos; nec non verba simplicia et composita saepissime commutantur. Accedit, quod innumeris locis ordo verborum hic aliter constituitur atque illic, idque ita, ut verum assequi plerumque omnino non liceat. Quae menda omnia, quamvis negotia nobis exhibeant, ita sunt comparata, ut librarii neglegentis quidem indiligentiae et incuriae optimo iure tribuantur.“ Sed iam differentiarum tertium genus exstare docet, quod a ceteris erroribus ita distet, ut plerumque disceptare omnino nequeas, utrius familiae vera sit Plutarchea lectio, utri innumerabiles mutationes eaeque maximam partem levissimae tribuendae sint, „quales a scribae errore profectas esse nemo sibi persuadebit.“ Ad hoc ipsum genus vitiorum imprimisque ad eius, qui ea commisit, describendi rationem atque consuetudinem peto, ut animum maxime intendas. Constat igitur librariorum bipart. et tripart. generis alterum (nam alteri tantummodo mutationes illas plane in eundem modum omnes confectas debemus) „in depingendo exemplari novando et inter-

polando perniciosissime in textum saevisse. Qua autem ratione progressum esse virum doctum illum fingamus, cum textum suum constitueret? Duplex ni fallor patet via rationem persequentibus: primum opinari licet coniciendo et divinando illum tradita verba inquinasse; id quod ipsa redarguitur levitate et vilitate mutationum. Quis enim coniciendi libidine adducetur, ut pro λέγει: φησί, pro στρατιάν: δύναμιν, pro τοιάδε: τοιαῦτα reponat? Multo probabilius est altera ratione tot peccata commisisse librarium: nempe cum unumquodque enuntiatum totum perlegisset, deinde e memoria depingeret, sensum plerumque integrum reddidit, singula verba temere, non consulto, mutavit" (p. 6). Hoc rectissime Meyer mihi videtur statuisse; pergit deinde inquirens utri familiae mutationes illae attribuendae sint, qua in re haec ei efficiuntur (p. 58): „meo iure concludere mihi videor, alteram textus recensionem, quam supra illustravimus, profectam esse a librario *Y*, et quamquam familia x a raris interpolationibus non libera est, ingentem nubem illam interpolationum exprobrandam esse librario *Y*." Hoc certissima argumentatione Meyer comprobavit. Iam vero mire accidit, quod non in omnibus vitis familia tripartita (*Y*) singulares istas mutationes exhibeat. Vel in iis vitis, quae non in Seitenstettensi libro servatae sunt, „nulla tam insignis et frequentis codicum discrepantiae sese obtulerunt insignia," quin ne eae quidem, quas S continet, vitae omnes interpolatae sunt in genere tripartito! Ubi enim Seitenstettensem comparamus cum vulgata, manifesto elucet interpolationibus foedatas esse in ea hasce tantummodo parallelas vitas: Lycurgus-Numa, Solo-Publicola, Themistocles-Camillus, Pericles-Fab. Maximus (quamquam in hoc quidem pari non aeque multae inveniuntur mutationes atque in ceteris), Aristides-Cato maior, Agesilaus-Pompeius, contra „in vitis Cimonis-Luculli et in fragmentis Niciae-Crassi nullum exstat testimonium, quo interpolatoris industria efficiatur" (p. 7). Usque adhuc nihil habeo, quod contra Meyeri ratiocinationem dicam, nisi quod dicas nimis audacter negasse eum in illis vitis, quas una familia tripartita tradidit, inveniri mutationes. In ea enim partet vitarum, quam Seitenstettensis non servavit, de hac re omnino nihil pro certo possumus affirmare; Photii excerpta in hunc quidem usum vix sufficiunt. Falsa fuit Meyeri, quam habuit de familia Z, opinio; hanc Lindskog demum ex libro S deri-

vandam esse docuit. Neque vero hanc rem inquirere nostra interest, quia hoc satis constat vitas Cimonis-Luculli et Niciae-Crassi in genere tripartito interpolationibus certo non esse depravatas, quarum ceterae, quae et in S et in vulgata conservatae sunt, vitae prorsus ingentem numerum exhibent. Qua ex re Meyero haec videbantur esse colligenda, etsi incertam esse coniecturam suam ipse concedit: „Quodsi librarii inertia alias vitas foedius maculavit, alias lenius, alias omnino non attigit, nescio an inde ansam repetere possimus ad construendum ordinem vitarum in archetypo observatum. Etenim si ponimus archetypum librorum interpolatorum . . . totum ab eodem scriba confectum esse, pronum est coniectare eum aut initio, cum primum ad opus describendum aggrederetur, accuratissime se adplicuisse ad singula verba et litteras, deinde magis magisque relaxatum liberius textum reddidisse, aut e contrario in ipso delineando paulatim exiliori diligentiae assuefactum esse, cum principio suo captu verba deflectare non veritus esset; id quod maiorem probabilitatis speciem habere confiteor" (p. 7). Deinde ordinem vitarum in archetypo hunc fuisse statuit: „agmen duxerunt vitae Lyc.-Num. Sol.-Publ. Them.-Cam. Arist.-Cat. Ages.-Pomp., quas exceperunt vitae Per.-Fab., quibus novandi ardorem paulatim refrigescentem videmus; deinde secutae sunt ceterae." Hoc est, quod improbandum mihi videtur, quod veri ne minimam quidem habet similitudinem. Nam quomodo credi potest eum, qui modo neglegentissimum se praebuit in describendo, qui sescenties verba tradita summa indiligentia commutare non veritus est, eum repente consuetudine exarandi prorsus mutata tam accurate depingere, ut vix unam interpolationem ei opprobrare possis? Quod si ageretur de interpolationibus consulto ac non sine ratione aliqua in textum intrusis, concesserim tibi forsitan evenire posse tale aliquod; sed id ipsum nihil valet in hoc librario, quippe qui semper quasi inscius et per imprudentiam levitatemque erraverit. Talis viri naturam atque indolem non ita permutari posse, ut plane ille neglegentiam suam deponeret, mihi quidem persuasum est. Qua causa egomet adducor, ut putem duos diversos scribas esse statuendos, ita, ut quispiam librarius duo invenerit vitarum corpuscula, alterum interpolationibus foedatum, alterum vacans, quae coniuncta ipse descripsit. In altero libro minimum fuerunt

Lycurgus, Solo, Themistocles, Pericles, Aristides, Agesilaus, in altero minimum Cimon et Nicias. Veterem igitur generis bipartiti ordinem temporum ratione compositum disiectum videmus, cuius reliquias tamen corpuscula illa servasse aliquas ex iis comprobatur, quae de generis tripartiti vitarum dispositione supra explicavi. Nunc vero iam licet intellegere, quidnam hunc ipsum redactorem generis tripartiti commoverit, ut novis legibus parallelas ordinaret: noluit nimirum fragmenta illa, qualia sese ei obtulerant, ita connectere, ut alterum alteri incomposite adiungeret, immo eius fuit admodum iudicii, ut legibus quibusdam vitas omnes collocare intenderet.

Haec sunt, quae ex mira istarum interpolationum ratione atque natura videbantur mihi esse colligenda. Singula in hac re persequi prorsus vetitum est; de universa autem quaestione, quae protuli, haud scio an accuratiore illarum, quae inter familiarum bipartitae et tripartitae lectiones exstant, differentiarum inquisitione possint confirmari.

Quae de duorum generum aetate reliqua proposuit Ziegler, iam restat, ut breviter refutem. Non recte is notas, quae vocantur stichometricae, argumenti loco petivit in familiae tripartitae aetate defendenda (Plut.-Stud. p. 252): „keine Spur von ihnen findet sich im Seitenstettensis und natürlich ebensowenig in seinen Apographa. Angenommen nun, die zweibändige Ausgabe war die ursprüngliche und die Quelle der dreibändigen, wo nahm diese dann die stichometrischen Notizen her, die in ihrer Quelle nicht standen?“ (Ex uno enim archetypo eoque multis locis depravato utrumque genus emanavit). „das kann darum eben nur unsere dreibändige Ausgabe gewesen sein, nicht die zweibändige!“ Hoc vero perverse statuit; sed iam ipse unam rectam viam indicat. Simplicissime enim tota quaestio dissolvitur, cum consideramus nos bipartiti generis unicum omnino habere veterem librum manuscriptum Seitenstettensem (ex quo tota defluxit familia Z), qui, quod stichometricas notas non tradidit, nihil habet miri, quippe quas tripartiti quoque generis perpauci codices conservaverint easque decem tantummodo vitarum iugorum! Fuisse autem in familia bipartita quoque has notas inde dilucide intellegitur, quod in Matritensis codicis particula prima, quam eius generis esse cognovimus, exstant et post Crassi et post vitam Coriolani

stichometricae subscriptiones (de quibus cfr. Gardthausen, Griech. Palaeographie, p. 133). Prorsus igitur nihil valet hoc Ziegleri argumentum.

Denique opus est de Lindskogii, quam defendit de generum aetate opinione referam. Qui prorsus novam ingressus est viam argumentationis, cum apopthegmatum Laconicorum, quae vocantur, lectiones sic adhiberet, ut cum generis et bipartiti et tripartiti eas conferret. Iis, quos attulit (praef. p. XVIII), locis — sunt omnino viginti tres — Seitenstettensis liber rectum exhibet contextum duodevicies, ita, ut septies consentiat cum apopthegmatis. Vitia iis communia nulla exstant. Contra genus tripartitum sex omnino locis rectam lectionem servavit, quibus — excepto uno — omnibus cum Ps.-Plutarcho congruit. Ex vitiis vero septem, quae cum apopthegmatis consentientia exhibet genus tripartitum, concludendum videbatur Lindskogio (p. XIX): „*Y* et Pseudo-Plut. ad eundem fontem recedunt“, idque propterea, quod (p. XVIII): „ne minimum quidem dubii esse potest, quin auctor apopthegmatum Laconicorum Pseudo-Plutarcheus in quibusdam partibus ipsum Plutarchum excerpserit.“ Atqui apopthegmata modo faciunt cum genere bipartito, modo cum tripartito, „suspicari igitur velis, in Pseudo-Plutarcho quandam commixtionem esse duarum recensionum“ (p. XIX); quoniam autem procul dubio sit, quin antiqui temporis sint ista apopthegmata, „in antiqua .... aetate iam exstitit recensio *Y*, neque iuniorem vel certe non multo esse recensionem alteram credibile“ (p. XX). Neque vero totam hanc ratiocinationem egomet probare possum. Primum perspicere nequeo, utrum in Lindskogii argumentatione differentia illorum duorum generum solam ad lectionum varietatem pertineat an ad ordinis quoque vitarum, quae maxima est differentia. Utcumque res se habet, ad ipsam ordinum aetatem ex lectionum differentia ne minimum quidem licet colligi; velut contextus vitarum prorsus idem potest manere, cum ordo plane permutatus sit, vel duae possunt exstare recensiones, quarum lectiones quidem valde inter se differant, quae tamen eandem habeant vitarum dispositionem. Si quis igitur ordinum respiciat differentiam in generum origine cognoscenda, ab ipso ordine necesse est proficiscatur, non a lectionibus. Sed mittamus ordinem. Apopthegmata illa ante tertium p. Chr. n. saeculum orta esse apparet. Paulo etiam vetustior

esset, si recte Lindskog statuisset, archetypus, ex quo una cum iis defluxisset genus tripartitum; denique eadem fere aetate in duas illas familias abiisset Plutarchea memoria. Sed quomodo, quaeso, hoc credi potest! Iam vidimus etiam Zonarae fuisse codicem, qui horum generum archetypo fuit superior. Quodsi Lindskogio haberemus fidem, nulla ratione posset fieri, quin altero fere p. Chr. n. saeculo, i. e. ipsius Plutarchi temporibus, ortum esse statuamus Zonarae codicem, id quod a veritate omni modo abhorret; nam memineris velim me supra dixisse hunc ipsum codicem non ita multo maiorem esse posse quam generis bipartiti et tripartiti libris manuscriptis vetustissimis, quibuscum nonnulla habet vitia communia. Quod rectissime statuit Ziegler, qui nono saeculo ex altero genere alterum emanasse censet. Unde vero patet nulla ratione stare posse Lindskogii opinionem. Sed etiam in alia re plane cum eo dissentio, quod credit apopthegmatum aliquam partem exscriptam esse ex ipsius Plutarchi operibus, id quod demonstrare conatus est C. Schmidt, De apopthegmatum, quae sub Plutarchi nomine feruntur, collectionibus. Diss. Gryphisw. 1879. Censet enim hic excerpta esse maximam partem et regum et imperatorum et Laconica apopthegmata ex Plutarchi vitis et Moralibus eaque adhibita esse ab Aeliano. Hoc vero, quam falso statuerit, rectissime ostendit A. Brunck, zu Aelians Varia historia. Comment. philol. in honorem sod. phil. Gryphisw. Berol. 1887. Non minus perverse Schmidt illud quoque mihi videtur contendisse; prorsus enim istas collectiones ex ipsius Plutarchi libris conscripta esse nego, quod quidem accuratius in hoc libello demonstrare nequeo, quod tamen fortasse non inutile erit rursus inquirere. Mihi quidem ea, quae Rich. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea. Berol. 1869, vol. I, p. 210—234 et de Laconicis, de regum et imperatorum, de Lacaenarum apopthegmatis et de institutis Lacedaemoniis dilucide proposuit, plane satisfaciunt, ita, ut utique, quae illi efficiebantur, comprobem, apopthegmata neque ab ipso Plutarcho neque ex eius scriptis esse congesta. Quare pro certo mihi videtur stare non ad eundem fontem recedere apopthegmatum lectiones et generis tripartiti, immo illas in hoc esse translatas, id quod non multum, postquam genus tri-

partitum ex bipartito derivatum est, factum esse necesse est existimetur.*)

Quoniam hoc pro certo constat genus tripartitum recentiore aetate, i. e. saeculo circiter nono, ortum esse, iam inquirendum erit, num quid de familiae bipartitae aetate expediamus. Sed cum ad hanc quaestionem accedamus, omnino cognoscamus necesse est de ordine vitarum vetere. Paulo altius ideo liceat repetere. Notum est eum vitarum ordinem, quem temporum Romanorum ratione habita redactum in nostris editionibus invenimus, institutum esse ab Asulano, cuius Aldinam anni 1519 Mewaldtio contigit, ut Romae reperiret (cfr. Maxim. Planud. und die Textgesch. d. Biogr. Plut. p. 824). Neque vero aut bipartitum genus aut tripartitum eum retinuit ordinem, quo ipse Plutarchus parallelas vitas edidit; quem ipsum ut restituerent, variis rationibus viri docti operam dederunt. Postquam Albertus Lion, Commentatio de ordine, quo Plutarchus vitas scripserit. Gotting. 1837, infirmis levissimisque argumentis hanc rem adire ausus est, sagacissima argumentatione C. Th. Michaelis, De ordine vitarum parallelarum Plutarchi. Diss. Berol. 1875, veterem ordinem reficere conatus est. Cuius rationes — spuriam maximam partem eorum, quibus ipse se affert Plutarchus, locorum esse censet Michaelis — gravissime repugnavit atque reppulit Adolphus Schmidt, Pericles und sein Zeitalter. Forschungen über die Hauptgrundlagen der Überlieferung. Jenae 1879, vol. II, p. 45—110, qui, cum praeter duo genuina declararet omnia verba laudata, priorem vitarum partem (1—10) in Plutarcheum ordinem redigere intendit. Similiter J. Muhl, Plutarchische Studien. Aug. Videl. 1885, hanc quaestionem instituit. Denique Joh. Mewaldt, Selbstzitate in den Biographien Plutarchs. Herm. 42 [1906], p. 564 sqq., docuit, quomodo omnia illa verba allata**) adhibenda essent ad verum veterem ordinem restituendum, cum ostenderet, quae inter se laudantur vitarum iuga, ea simul esse ab ipso

*) Possitne cogitari ipsum regum et imperatorum apopthegmatum ordinem — sunt enim omnia accurate secundum nationes illorum virorum disposita — commovisse istum redactorem generis tripartiti, ut eodem modo vitas ordinaret, postquam apopthegmatum lectiones in vitarum contextum intrusit?

**) Quorum conspectui p. 575 dato unum habeo quod addam: vita Bruti laudatur Cato min. 73, 23.

Plutarcho edita. Quae ratiocinatio mihi quoque comprobatur; omnis, quae ad hanc rem pertinet, argumentatio necesse est imprimis nitatur in argumentis externis, inter quae ipsa illa verba allata summi momenti sunt; intestina vero, quae ex ipso vitarum argumento vel ex rerum narratione petuntur quibusque maxime usi sunt Schmidt et Muhl, ideo valere neqeunt, quia non pro comperto nobis est, quantum in quaque vita Plutarchus ex fonte suo hauserit, proptereaque tum solum habent aliquam vim, cum suam ipsius sententiam Plutarchum efferre pro certo constet; unde patet, quam caute ea sint adhibenda ad illa externa argumenta supplenda vel fulcienda. De verborum autem allatorum auctoritate ac fide plane perversum est dubitare,*) quippe quam ne semel quidem quisquam redarguere potuerit; immo prorsus est procul dubio, quin omnium ipse Plutarchus fuerit auctor. Quapropter plane ea, quae Mewaldt exposuit, probo, quamquam in singulis cum eo interdum dissentio. Omitto tamen de hac quaestione fusius disputare, cum quia a proposito meo alienum est, tum quod ad summam absolutamque veritatem in hac re inquirenda mea quidem sententia non iam fieri potest, ut accedamus, immo singulis locis vacillabit disceptatio, vel cum complures vitae omnino nusquam a Plutarcho laudentur.

Iam commemoravi in parallelarum vitarum memoria permagnam commutationem esse factam tum, cum non iam in voluminibus, sed in codicibus libri scribebantur, id quod inde a quinto circiter p. Chr. n. saeculo fieri solebat. Ante hoc tempus verisimile est singula paria singula volumina explevisse. Iam quaeritur, nonne tum in certum quoque ordinem vitae redactae sint. Atque re vera hoc statui posse ego quidem puto. Ipsum singula vitarum iuga numerasse Plutarchus testatur Demosth. 3; Pericl. 2; Dion 2, ubi narrat quintum par esse Demosth.-Cic., decimum Pericl.-Fab. Maxim., duodecimum Dion.-Brut. Ipse igitur in certum ordinem vitas redegit, eum nimirum, quo deinceps erant confectae. Iam antiqua aetate Plutarchi vitas parallelas — id quod Plutarchus ipse quoque intendit — quasi unum opus habitas esse satis apparet ex apopth. reg. et imp. 1, 1:

*) Non recte Lindskog in editionis suae pp. 5, 12; 29, 9; 39, 8 ista verba quasi subditiva cancellis inclusit.

καίτοι καὶ βίους ἔχει τὸ σύνταγμα, ubi *σύνταγμα* significat „corpus“ vitarum. Quare liceat concludere continuis numeris inter se omnia paria fuisse connexa, ut quasi complures libri unum opus efficerent. Simili modo Demosthenis vel Isocratis orationes deinceps numerantur in libris manuscriptis vel, de qua re Wilamowitz benigne me admonuit, in tabulariis acta publica in singulis voluminibus ita erant deposita, ut unumquodque volumen suum haberet numerum. Etsi vero haud temere opinamur in eundem modum vitarum quoque parallelarum quodque par ab initio numero esse significatum — notati nimirum erant hi numeri in membranea illa scidula, cui paululum ex unoquoque volumine prominenti nomen erat titulus vel index (Graece *σίλλυβος*), — tamen in usu legendi vel describendi fuit levioris momenti haec numeratio; ei scilicet, qui legere voluit quempiam vitam, licuit modo hanc, modo illam ex armario depromere, cum numeros plane neglegeret. Ita fere exortos esse puto et eum ordinem, quo Sopater*) sophista vitas enumerat (cfr. p. 8), et Lampriae indicem. Prorsus enim utut libet Sopater singula opera exscripsit: in libro octavo affert Plutarchi moralia quaedam scripta, libro nono vitam Demetrii et Bruti, deinde *ἀποφθέγματα ἀνδρῶν ἐνδόξων, περὶ ποταμῶν, πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου*, deinde Cratetis vitam, Daiphantis, Pindari, tum *ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν* et *συμποσιακά*, denique Rufi *Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας* l. 1—4. Lamprias autem ex aliqua bibliotheca omnia contulit, quaecumque sub Plutarchi nomine invenit, ordinem quidem plane neglegens (cfr. Max Treu, Der sog. Lampriaskatalog der Plutarchschriften, Waldenburg i. Schl. 1873, p. 43; Ziegler, Überl.-Gesch. p. 33—36).

Tum vero volumina obsoleverunt et iam opus fuit certum vitarum ordinem vel veterem restituere vel novum conformare, quem in codicibus multo melius conservari posse quam in voluminibus luce clarius est. Sed cum verisimile sit inde a Plutarchi aetate primum eodem ordine vitas esse dispositas, quo ipse auctor

*) De Sopatro cfr. append. II (p. 57), ubi docebo non rhetoris illius saeculi sexti esse id opus, quod Photius sub titulo *ἐκλογαὶ διάφοροι* excerpsit, potius fortasse Jamblichi illum discipulum circa a. 330 a Constantino Magno interfectum fuisse auctorem. Certe tum etiam in voluminibus scribebatur.

eas et scripserat et ediderat, tamen non ita multum temporis hic quidem stare potuit ordo, quippe quem perspicua ratione plane carentem posteri non iam intellegere potuerint. Novus igitur redigendi modus erat excogitandus neque ullus simplior potuit esse et facilior ad cognoscendum et naturalior quam is, qui solum temporum ordinem respexit. Quare opinor ego quidem — neque enim plus dicere licet quam opinari — illa aetate, quinto scilicet vel sexto p. Chr. n. saeculo, illud ipsum vitarum parallelarum genus bipartitum esse exortum. Quin coniectare licet etiam ante hoc tempus studuisse librarios, ut in hunc ipsum chronologicum ordinem vitas adducerent. Etenim si accuratius indices Sopatri Lampriaeque perscrutaris, iam patet, siquis in universum spectat, etiam hic temporum cuiusque Graeci rationem quandam esse habitam. Ex priore enim bipartiti generis volumine, quod 13 paria continet, exstant 10 etiam apud Sopatrum, 9 etiam apud Lampriam in priore indicis parte, ex altero autem volumine 11 vitas complexo exstant 8 etiam apud Sopatrum, 7 etiam apud Lampriam in posteriore parte. Praeterea conferas quaeso, quae in initio cuiusque ordinis exstant vitae, in genere bipartito: Theseus, Lycurgus, Solo, Themistocles (vel Aristides, cfr. p. 44 adn.); apud Lampriam: Theseus, Lycurgus, Themistocles, Solo; apud Sopatrum post Niciam et Alcibiadem (Demetrii enim Brutique vitae in nono eclogarum tomo sine comparatis Antonio et Dione exscriptae ex tota serie aperte sunt sublatae): Themistocles, Theseus, Lycurgus, Solo. Nonne ex tanto consensu licet concludere iam antiquissimis temporibus formatum esse vitarum ordinem, cuius auctor studuerit, ut secundum Graecorum aetatem omnia iuga deinceps redigeret?

Appendix I.

De codice Laurentiano 69, 6 (L; cfr. supra p. 16) nonnullis mihi videtur esse disputandum. Valde enim differunt de eius aetate virorum doctorum sententiae; subscriptione docemur anno 997 eum confectum esse, quem annum et Lindskog et Ziegler retinuerunt. Esse tamen, cur de huius subscriptionis auctoritate liceat dubitare, vel inde elucet, quod ex ipsa huius codicis litterarum forma plerisque recentiori aetati attribuendus esse videbatur. Quarto decimo demum saeculo eum ortum esse putat Bandini, Schoell (Plutarchhandschriften in Florenz, Herm. V, p. 123, adn. 3) saeculo duodecimo eum vindicat, cum Wattenbach—de Velsen (Exempla codicum Graecorum litteris minusculis scriptorum. Heidelb. 1878, t. IX; cfr. p. 3), annum 997 defendant. Contra quos Carolus Graux (Notes paléographiques 3; Rev. de philol. IV [1880], p. 86—87) haecce: „Cette dernière date nous avait, dès le premier moment, beaucoup surpris: l'écriture ne présente pas le moindre caractère d'archaisme. . . . L'inspection du fac-simile, autant qu'on peut porter un jugement sans avoir vu l'original, nous laisse hésitant entre le XII e et le XIII e siècle, limites extrèmes" (cfr. die griechischen Schreiber des Mittelalters und der Renaissance, bearbeitet von M. Vogel und V. Gardthausen, Lips. 1907, p. 93). Postea vero Graux, quae de Laurentiani aetate statuerat, revocavit (Rh. M. 37, p. 299, in epistula a Fuhrio post illius mortem publici iuris facta): „Aujourd'hui que j'ai vu le manuscrit lui-même, je ne conserve plus le moindre doute qu'il ait été effectivement écrit en l'an 997. . . . Le Laurentianus porte bel et bien ἔτους ϛφε, comme le dit Wattenbach." Neque tamen scio an Graux magis propter subscriptionis auctoritatem quam ex litterarum forma ita iudicaverit, cuius mentionem hoc quidem loco omnino non facit. Ut-

cumque autem res se habet, id quidem intellegitur, quam diverse de huius libri manuscripti aetate statuerint viri docti, unde apparet non nimiam fidem illi subscriptioni esse habendam. Sed quoniam egomet ipse de Laurentiani aetate iudicare noluerim, a Mewaldtio petivi, ut ea, quae Laurentii de codice cognovisset, mecum communicaret. Qui, qua semper erga me usus est benevolentia, haec mihi scripsit: „Schrift unmöglich aus dem X. saec.; schwerlich auch aus dem XI., wie jemand im Bandini der Laurentiana notiert. Meiner Meinung nach gehört der Codex ins XII. Jahrh.“ Mirus igitur peritissimorum virorum exstat in hac re consensus. Sed quomodo de subscriptione erit iudicandum? Docet Schoell (l. c.) praeter nonnulla initii folia suppleta esse altera eaque XIV. saeculi manu („die ersetzten Blätter nicht viel jünger als der alte Bestand; es sind 1. 2. 9. 284. 286“ Mewaldt) folium ultimum et ab ultimo tertium; in ultima vero pagina legitur haec subscriptio: *Ἐγράφη χειρὶ γρηγορίου κουβουκλεισίου πλὴν τῶν μεταγραφέντων φύλλων μηνὶ Ἰουνίου* (sic Mewaldt, *Ἰουλίου* Schoell) *N̄ ῑ ἔτους ςφε* (sic Mewaldt, Graux, Rh. M. 37, p. 299; cfr. Herm. tomi V errata ad p. 123). Pergit Schoell: „Die subscriptio . . . beweist gerade durch diesen Zusatz (sc. *πλὴν τῶν μεταγραφέντων φύλλων*) und durch den offenbaren Datierungsfehler, daß der jüngere Schreiber nur die vielleicht schadhaft gewordenen Blätter seines Vorgängers umschrieb und daß auch dieser mit der subscriptio nach der vita des Pompeius schloß.“ Prorsus idem censet Mewaldt: „Auf f. 286 v steht die subscriptio; sie ist also vom Schreiber der Ersatzblätter aus dem ursprünglichen Schlußworte kopiert.“ Hoc alterum igitur iam cognovimus non a vetere scriba exaratam esse eam, quae hodie legitur, subscriptionem, sed veterem a recentiore librario interiectis verbis *πλὴν τῶν μεταγρ. φύλλων* esse transscriptam. Quae cum ita sint, non nimia audacia mihi videor conicere errasse hunc ipsum librarium in isto numero describendo nec non primitus hoc loco stetisse:

N̄ ῑε ἔτους C̄ΨĒ

i. e. anno 1197, pro quo numero ille depinxerit:

N̄ ῑ ἔτους C̄ΦĒ

i. e. anno 997, id quod lenissima oculorum aberratione fieri potuisse eo minus negabis, cum consideres haud dubie valde corrupta atque certo parum clara fuisse ea folia, quae reficere illi scribae videbatur necessarium esse. Tum vero omnia perbene stant optimeque hic annus cum eorum convenit opinione, qui saeculo XII/XIII hunc codicem ortum esse volebant.

Appendix II.

In Bibliothecae codice centesimo sexagesimo primo (pag. 103 a 18 Bekk.) afferuntur a Photio patriarcha *Ἐκλογαὶ διάφοροι ἐν βιβλίοις ιβ' Σωπάτρου σοφιστοῦ*. Ex quibus in singulis libris scriptoribus hic auctor hauserit, brevi conspectu exponam.

Lib. I: Apollodori Atheniensis *περὶ θεῶν* libri 3, 4, 5, 9, 11 (*α'* codd., *ια'* Mueller), 12, 15, 16—24.
Iubae *περὶ γραφικῆς* l. 2.
Athenaei *Δειπνοσοφισταί*:

Lib. II: Pamphilae, Soteridae filiae (Neronis aetate), *ἐπιτομῶν* libri 1—10.
Artemonis Magnesii*) *τῶν κατ' ἀρετὴν γυναιξὶ πεπραγματευμένων διηγήματα.*
Diogenis Cynici *ἀποφθέγματα*. Sapphus l. 8.

Lib. III: Favorini *παντοδαπῆς ὕλης* libri *ν'*, *ξ'—ω'* (excepto *τ*).

Lib. IV: Anonymi**) *θαυμάτων συναγωγή.*
Aristoxenis *συμμικτὰ ὑπομνήματα*, l. 16.
Rufi *δραματικῆς ἱστορίας* l. 8.

Lib. V: Rufi *μουσικῆς ἱστορίας* libri 1, 2, 3.

Lib. VI: Rufi *μουσικῆς ἱστορίας* libri 5, 4. Damostrati***) *Ἁλιευτικῶν* libri 2. Laertii Diogenis *φιλοσόφων βίων* libri 1, 5, 9, 10.

---

*) Incertae aetatis; cfr. Wentzel apud Pauly-Wissowa-Kroll, Realencyclop. II², p. 1447, no. 19; Paradoxographi Graeci ed. Westermann, praef. p. XLI et 213—218; Anecdota Graeca et Graecolatina ed. Val. Rose, I, p. 13—14.

**) Cfr. Paradoxographi Gr. ed. Westerm. praef. p. XVIII.

***) Damostratus (vel Demostratus) Augusti temporibus fuit. Cfr. M. Wellmann, Herm. 30 [1895], p. 176 et Realencyclop. IV², p. 2080/1, no. 5.

Aelii Dii*) περὶ Ἀλεξανδρείας. Hellanici**) Αἰγυπτιακά.

Lib. VII: Herodotus.

Lib. VIII: τόμος τις ἀρχαῖος („ἐκλογαὶ καὶ αὐτὸ τυγχάνει τὸ βιβλίον, οὐκ ἔχον ἐπιγραφόμενον τὸν συνηθροικότα· ἐν οἷς τὰς εἰς μέγα δόξης καὶ ὄνομα λαμπρὸν ἀρθείσας γυναῖκας καταλέγει, καὶ ἀνδρῶν ἐνίων ἔργα, καὶ ἐπὶ παιδείᾳ λόγων συνουσίας, ἀρετήν τε αὖ φιλίας, καὶ τῶν σπουδαίων ἀποφθέγματα" Photius).

Plutarchi Chaeronensis Moralium scriptorum duodecim.

Lib. IX: Plutarchi Moralium scriptorum sex. Eiusdem Vitarum quinque.

Rufi Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας libri 1—4.

Lib. X: Cephalionis***) Ἐρατώ („διαλαμβάνουσα τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον" Photius). Apollonii Stoici†) ὅσαι γυναῖκες ἐφιλοσόφησαν ἢ καὶ ἄλλως τι ἐπίδοξον διεπράξαντο καὶ δι᾽ ἃς οἰκίαι εἰς εὔνοιαν συνεκράθησαν.

Theagenis††) Μακεδονικὰ πάτρια. Plutarchi Vitarum quindecim.

Lib. XI: Plutarchi Vitarum decem. Aristophanis grammatici περὶ ζῴων libri 1—2.

Iubae θεατρικῆς ἱστορίας l. 17.

Lib. XII: Callixeni†††) ζωγράφων τε καὶ ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφή.

---

*) Incertae aetatis; cfr. Susemihl, Geschichte der griech. Lit. in der Alexandrinerzeit II 387 sqq; Cohn, Realencyclop. V[1], p. 1080, no. 12; A. Ludwich, Berl. phil. Wochenschr. 1888, p. 602—604.

**) Hellanici Aegyptiaca apud Athenaeum (Fr. Hist. Gr. ed. Mueller I, p. 66) saepius laudata pars fuerunt maioris operis titulo inscripti Νόμιμα βαρβαρικά, quod Mueller (F. H. Gr. I, p. XXIX sqq.) Hellanico Aegyptio cuidam attribuit; cfr. Christ-Schmid, Geschichte der griech. Literatur I[5], p. 431, adn. 3.

***) Cephalio, rhetor et grammaticus, Hadriani temporibus Herodotum imitatus scripsit: Παντοδαπὰς ἱστορίας, quarum octavus liber inscriptus fuit: Ἐρατώ. Cfr. Christ-Schmid, Gesch. d. gr. Lit.[4], p. 706; V. edit. I, p. 439, adn. 2; Phot. Bibl. cod. 68 (p. 34 a 8 Bekk.); F. H. G. ed. Mueller III, p. 625.

†) „μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων" Strabo p. 757 Cas. (l. XVI, cp. 24).

††) De Theag. historico, qui Hadriani circiter temporibus floruit, cfr. Susemihl II, p. 398; Christ-Schmid[4] p. 708.

†††) De Callixeno Rhodio Ptolemaei Adelphi et Philopatoris aetate scribente cfr. Susemihl I, p. 519.

Aristonici*) περὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μουσείου.

Aristotelis πολιτεῖαι Θετταλῶν, Ἀχαιῶν, Παρίων, Λυκίων, Κίων. Eiusdem πολιτικά.

Iam de auctore accuratius inquiramus. Constat diversos in exeunte antiquitate**) fuisse Sopatros, quorum cui eclogae iure attribuendae sint, nostrum erit indagare. Quaestio imprimis est de duobus, quorum prior iste fuit Sopater Apameensis, sophistes vel philosophus, quem Iamblichi discipulum, postquam familiarissimi loco habuit amici, Constantinus Magnus interemit. Alter rhetor fuit et sophistes Athenis docens circa quingentesimum p. Chr. n. annum, cuius nonnulla ad nostra tempora servata sunt scripta. Quamquam, uter has eclogas congesserit, nemo adhuc dignum putavit, de quo disputaretur, tamen ne minimum quidem unquam habuit dubitationis, quin hic saeculi sexti Sopater auctor esset existimandus, qua in re haud scio an omnes Fabricii iudicium secuti sint (Bibl. Gr. X, p. 720). Primus Mewaldt in brevissima adnotatione commentationis „Maximus Planudes u. d. Textgesch. d. Biogr. Plut." (Sitz.-Ber. der Berl. Akad. d. W. 1906, p. 824) contra vulgarem opinionem contendit Constantini istum intimum hunc librum confecisse haud difficile posse comprobari. Hanc sententiam, ad quam confirmandam Mewaldt tum non accessit, quippe cui in disputatione illa haec ipsa quaestio curae non fuerit, ipse conabor argumentis defendere atque probare.

Primum conferamus oportebit ea, quae de utriusque vita studiisque comperta habemus. Maioris Sopatri vitam Suidas***) s. v. Σώπατρος breviter describit: Σώπατρος, Ἀπαμεύς, σοφιστὴς καὶ φιλόσοφος, μαθητὴς Ἰαμβλίχου· ὃν Καῖσαρ Κωνσταντῖνος ἀνεῖλεν εἰς πίστιν τοῦ μὴ ἑλληνίζειν ἔτι τὰ κατὰ θρησκείαν. ἦν γὰρ αὐτῷ συνήθης πρότερον· ἔγραψε περὶ Προνοίας καὶ τῶν παρὰ τὴν ἀξίαν εὐπραγούντων ἢ δυσπραγούντων. [Ὅτι τὸν Σώπατρον

---

*) Aristonicus grammaticus Alexandrinus Augusti Tiberiique temporibus fuit; cfr. Cohn, Realencyclop. p. 964—966, no. 17.

**) Ab Alexandri Magni aetate usque ad Ptolemaei Adelphi Paphium fuisse Sopatrum, qui modo parodus, modo phlyacographus appellatur compluriaque confecit dramata, Athenaeus tradit; cfr. de eo Suidam s. v. Σώπατρος; Susemihl I, p. 243; infra p. 65.

***) Cfr. Ps.-Eudociae περὶ Σωπάτρου σοφιστοῦ ex Suida excripta (Anecdota Graeca ed. Villoison tom. I, p. 382).

Κωνσταντῖνος ἀνεῖλεν, οὐ καλῶς ποιῶν· ὁ γὰρ χριστιανὸς (χρηστὸς codd., corr. Bernhardy) οὐκ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ᾽ ἐξ ἀγάπης].*) Nonnulla de eo refert Eunapius primum in vita Iamblichi p. 12 Boissonade, ubi de Iamblichi discipulis loquitur: πλῆθος μὲν ἦσαν οἱ ὁμιλοῦντες (sc. τῷ Ἰαμβλίχῳ), πανταχόθεν δὲ ἐφοίτων οἱ παιδείας ἐπιθυμοῦντες· ἦν δὲ ἐν αὐτοῖς τὸ κάλλιστον δύσκριτον. Σώπατρος γὰρ ἦν ὁ ἐκ Συρίας, ἀνὴρ εἰπεῖν τε καὶ γράψαι δεινότατος κτλ. Deinde de supplicio eius paulo accuratius narrat in vita Aedesii p. 21—23 Boiss.: Ἰαμβλίχου δὲ καταλιπόντος τὸ ἀνθρώπειον, ἄλλοι μὲν ἀλλαχῇ διεσπάρησαν, καὶ οὐδεὶς ἦν ἔξω φήμης καὶ ἄγνωστος. Σώπατρος δὲ ὁ πάντων δεινότερος, διά τε φύσεως ὕψος καὶ ψυχῆς μέγεθος, οὐκ ἐνεγκὼν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, ἐπὶ τὰς βασιλικὰς αὐλὰς ἔδραμεν ὀξύς, ὡς τὴν Κωνσταντίνου πρόφασίν τε καὶ φορὰν τυραννήσων καὶ μεταστήσων τῷ λόγῳ. Καὶ ἐς τοσοῦτόν γε ἐξίκετο σοφίας καὶ δυνάμεως, ὡς ὁ μὲν βασιλεὺς ἑαλώκει τε ὑπ᾽ αὐτῷ, καὶ δημοσίᾳ σύνεδρον εἶχεν, εἰς τὸν δεξιὸν καθίζων τόπον, ὃ καὶ ἀκοῦσαι καὶ ἰδεῖν ἄπιστον. Exstiterunt nimirum, qui his honoribus Sopatri tantaeque eius dignitati inviderent clandestinaque contra eum struerent consilia. Ruinam vero huius hominis et sapientiae et potentiae insatiabili cupidine flagrantis apte sibi Eunapius visus est illustrare, cum „τοῦ παλαιοῦ καὶ μεγάλου Σωκράτους“ exemplum adhiberet: οὕτω καὶ τότε συνορᾶν ἐξῆν τὸ κατὰ Σώπατρον ἐπιβούλευμα. Nam cum aliquando iniquis ventis classis frumentaria retineretur aegreque hoc ferret populus, ita, ut principis quoque animus affligeretur, καὶ οἱ πάλαι βασκαίνοντες, εὑρηκέναι καιρὸν ἡγούμενοι κάλλιστον „ἀλλὰ Σώπατρός γε“, ἔφασαν, „ὁ παρὰ σοῦ τιμώμενος κατέδησε τοὺς ἀνέμους δι᾽ ὑπερβολὴν σοφίας, ἣν καὶ αὐτὸς ἐπαινεῖς, καὶ δι᾽ ἣν ἔτι τοῖς βασιλείοις ἐγκάθηται θρόνοις. Constantinus autem criminantibus illis confisus supplicium de Sopatro sumere non cunctatus est, καὶ ἐγίνετο διὰ τοὺς βασκαίνοντας ταῦτα θᾶττον ἢ ἐλέγετο. Cum inde ab anno p. Chr. n. 330 Constantinus Constantinopoli regnaret, e vita vero anno 337 decederet, mortuus est Sopater intra annos 330—337 (cfr. Eunap. vit.

*) Verba inclusa add. marg. codex Parisinus (A): „annotationem hominis religiosi seclusimus“ Bernhardy.

Aedes. p. 22 Boiss.).*) Post mortem eius scripta est Iuliani Apostatae epistula ad Libanium data (Epistologr. Gr. ed. Hercher p. 352, 26, 7): Ἰαμβλίχου τοῦ θειοτάτου τὸ θρέμμα Σώπατρος, ὁ τούτου κηδεστὴς ἐξ ὅσου· ἐμοὶ γὰρ τὸ μὴ πάντα ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν ἀγαπᾶν ἀδικημάτων οὐδὲν οὕτω φαυλότατον εἶναι δοκεῖ.

Haec sunt, quae de Sopatro philosopho scimus quibusque contenti simus necesse est, cum miri huius hominis imaginem animo effingere nobis proposuerimus, qui potentissimi atque sapientissimi magi speciem apud aequales videtur prae se tulisse.**)

*) Joannis Laur. Lydi lib. de mensibus IV 2 (p. 65, 21 Wuensch) ὁ δὲ Πραιτέξτατος ὁ ἱεροφάντης, ὁ Σωπάτρῳ τε τῷ τελεστῇ καὶ Κωνσταντίνῳ τῷ αὐτοκράτορι συλλαβὼν ἐπὶ τῷ πολισμῷ τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως (i. e. Constantinopoleos); Sozomeni hist. eccl. I, 5; Zosim. II, 40, 3 ἀνῃρέθη δὲ τότε Ἀβλάβιος (de quo Eunap. vit. Aedes. p. 23 sqq. Boiss.), ὁ τῆς αὐλῆς ὕπαρχος, τῆς Δίκης ἀξίαν αὐτῷ ποινὴν ἐπιθείσης ἀνθ᾽ ὧν ἐπεβούλευσε θάνατον Σωπάτρῳ τῷ φιλοσόφῳ φθόνῳ τῆς Κωνσταντίνου πρὸς αὐτὸν οἰκειότητος.

**) Nonnulla etsi ficta inveniuntur in epistulis subditivis ad Jamblichum (nempe ad philosophum Chalcidensem) datis, quas Julianum conscripsisse ferunt, cfr. p. 361, 39, 7 Hercher: ἐπρέσβευσεν ὡς ἡμᾶς ὁ καλὸς Σώπατρος· ἐγὼ δὲ ὡς ἔγνων εὐθὺς ἀναπηδήσας ἦξα καὶ περιπλακεὶς ἐδάκρυον ὑφ᾽ ἡδονῆς, οὐδὲν ἄλλο ἢ σὲ καὶ τὰ παρὰ σοῦ πρὸς ἡμᾶς ὀνειροπολῶν γράμματα. . . . . (8) καὶ δὴ καὶ ἀντέγραφον εὐθύς, οὐ πρὸς σὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν ἱερὸν Σώπατρον τὸν ἐκείνου παῖδα, καθάπερ θρυπτόμενος, ὅτι τὸν κοινὸν ἑταῖρον ἐκ τῆς Ἀπαμείας οἷον ἐνέχυρον τῆς ὑμετέρας ἀπουσίας ἀντειληφότες εἴημεν. Et p. 373, 52, 2 Hercher: καίτοι σὺ μὲν . . . . . ἐμέ τε καὶ τὸν ἑταῖρον Σώπατρον εἰς τὴν Θρᾴκην μετενηνοχέναι προσπαίζεις. Quisnam fuit ille καλὸς Σώπατρος? Peropportune accidit, quod paulo plus de hoc quidem scimus. Etenim occurrit in Libanii sophistae epistulis (ed. J. Chr. Wolf, Amstelaedami 1738) Sopater quidam Apameensis, qui anno 361 ludos Olympicos ibidem edidit et anno 364/365 vita excessit; cfr. Sievers, Das Leben des Libanius. Berol. 1868, p. 138 a. 28; 284, 6; O. Seeck, Die Briefe des Libanius, zeitlich geordnet. Lips. 1906 (= v. Gebhardt-Harnack, Texte u. Unters. zur Gesch. d. altchristl. Lit. N. F. 15), p. 279. Avunculus erat Jamblichi (ep. 487), Neoplatonici Jamblichi fratris filius (Seeck l. c. p. 184), cuius pater Himerius fuit (ep. 487); mater igitur necesse est soror fuerit Sopatri. Jamblichus Antiochiae plerumque videtur versatus esse (Seeck l. c. p. 184) philosophiae non minus quam patruus deditus (ep. 1072). Et „ἐρωμένην“ eius et Sopatri matrem Apameae habitasse testatur ep. 1447, unde verisimile fit patrem quoque Sopatri fuisse Apameensem. Natus Sopater videtur esse non multum post annum 300; nam ex ep. 1106 apparet nepotes eius, quorum pater Achaeus quidam erat, anno 365 fuisse adulescentes (cfr. Seeck l. c. p. 440). Haec omnia, et nomina et tempora et patria, ostendunt haud inepte conici

Nunc iam ad alterum Sopatrum convertamus, cuius operibus magis quam illius fortuna favit. Conservata sunt ex iis haecce:

1) *Διαίρεσις ζητημάτων*, primum edita in Aldi Manutii collectione rhetorum Graecorum (p. 287—455), quam Venetiis anno 1508 sqq. Joanni Lascari dedicatam publici iuris fecit (cfr. Fabricii Bibl. Gr. VI, p. 102 et 103 adn. m), deinde apud Walz, Rhet. Gr. VIII, p. 1—385. Insunt in hoc opere „copiosa admodum de componendis declamationibus praecepta et diversiones controversiarum“ (Fabricius).

2) *Ὑπόμνημα εἰς Ἑρμογένους τέχνην*, primum ex Venetiano codice editum apud Walz, Rhet. Gr. V, 1—211. Genuina haec Sopatri scholia nova recensione depravata commixta sunt cum Syriani et Marcellini commentariis iisdemque ad Hermogenis status pertinentibus (*εἰσαγωγὴ σχολίων ἐκ διαφόρων τεχνογράφων εἰς τὰ προλεγόμενα τῆς Ἑρμογένους ῥητορικῆς*, cfr. Walz, Rhet. Gr. IV, praef. p. V—X); H. Rabe, Rh. M. 64 [1909], p. 575 sqq., 578—589. Primus edidit hanc „farraginem . . . ., ab ignoto quodam rhetoricae professore in scholarum suarum usum compilatam eoque modo digestam, ut ex unoquoque trium horum commentariorum, quidquid ad explicandos singulos Hermogenis locos

---

huius Sopatri, Libanii intimi et affinis (ep. 487), patrem fuisse istum Constantini principis amicum, Jamblichi Chalcidensis philosophi assectatorem. Nec non ea ipsa necessitudo, quae inter minores Sopatrum et Jamblichum fuit, huic opinioni favet: quid mirum, quod magistri fratri maior Sopater filiam in matrimonium dedit? Et exstat una Libanii epistula (1448) anni 363 aestate (Seeck l. c. p. 409) ad Sopatrum data, ex qua, nisi fallor, novum huius rei argumentum licet depromere. Verba Libanii sunt haecce: *οἷα, ὦ δαιμόνιοι, δεδράκατε! τὸν ἄρχοντα ἡμῖν ἐγοητεύσατε, καὶ πάντας Ἀπαμεῖς αὐτῷ. οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ Θετταλήν τινα τρέφετε φαρμακίδα, ἧς ἔργον, παρῶφθαι μὲν ἡμᾶς, ὑμᾶς δὲ ἐν ἐπαίνοις εἶναι. Χρηστοὺς τοίνυν ἄνδρας εὖ πεποιηκὼς ἥκειν ὁ Ἀλέξανδρος* (i. e. ipse praefectus; cfr. Seeck l. c. p. 53) *λέγων, ἔτ' ἄμεινον τοῦτο ἐνόμισεν ἀληθές, ἐπειδή σου τὴν ἐπιστολὴν ἔλαβεν. ἔλαβε γὰρ τὴν ἐπιστολήν, ἐμοῦ βουληθέντος αὐτὸν πάντα τε εἰδέναι, καὶ ὡς δεινὸς ἐπιστέλλειν εἴης. ἐπαινοῦντος δέ, „μὴ θαυμάσῃς“, ἔφην, „εἰ πατέρα μιμεῖται“. Τὸ μέντοι παρὰ γράμμα σου ζητοῦντός ἐστιν ἃ ἔχεις. μὴ γὰρ οὕτω γενοίμην περὶ τὸ γένος κακός, ὡς μὴ τούτων ἐθέλειν εἶναι πανταχοῦ τὸ νικᾶν.* Nonne haec prorsus ad ea nos delegant, quae de Sopatri sophistae moribus ac fama supra cognovimus? Paene credas in eam ipsam rationem Libanium iocari, qua Constantinum Magnum Sopater amicus sibi devincire sciebat.

spectaret, conferret“ (Walz), idem Aldus anno 1509 in altero Rhetorum Graecorum tomo (p. 1—351), post eum Walz, Rhet. Gr. IV.

3) *Προλεγόμενα* (vel *ὑπόθεσις*) *εἰς τὸν Ἀριστείδου Παναθηναϊκον* (Aristides ed. Guil. Dindorf vol. III, p. 737—757). Adloquitur in hac commentatione auctor Alexandrum quendam (*Ἀλέξανδρος τιμιώτατε* p. 745, 2 Dind.). Perierunt eiusdem *μεταβολαὶ καὶ μεταποιήσεις*, quarum Gregorius Corinthius mentionem facit in scholiis ad Hermogenis *περὶ μεθόδου δεινότητος* librum (Walz, Rhet. Gr. VII, p. 1294).

Plura ex eius scriptis neque exsistunt neque usquam commemorantur. Rhetoricam artem Athenis professus est: *Σώπατρος ἐγώ, τῶν Ἀθηναίων διδάσκαλος* Walz VIII, p. 55, 6. Ibidem ipse quoque videtur litteris eruditus esse: *ταῦτ' ἐγώ σοι Σώπατρος ἐπιδίδωμι, ὅσα γε ἔμαθον παρὰ τῶν διδασκάλων Ἀθήνησι*, Aristid. III, p. 757 Dind. Pauca de filio eius Carponiano comperimus, cfr. Walz VIII, p. 78, 8 *υἱέ, Καρπωνιανὲ τιμιώτατε. καὶ γὰρ εἰ τύχῃ σέ τις εὐδαίμων ὑπηρετεῖν βασιλεῖ στρατευόμενον παρεσκεύασεν, ἀλλ' ἐν ῥητορικῇ σοφιστικὸν ἔργον ποιεῖς, παρακολουθῶν τοῖς θεωρήμασιν ἅπασιν.* p. 129, 16 *καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον ἡμῖν, ὦ υἱὲ Καρπωνιανέ, τεχνολογείσθω.* Qua vero aetate hic Sopater fuerit, solum, quantum ego quidem video, concluditur ex Aeneae Gazaei epistula nona (Epistologr. Gr. ed. Hercher, p. 26, no. IX), quae inscribitur *Σωπάτρῳ σοφιστῇ*. Iurene eam ad hunc rhetorem referamus necne, pro certo affirmari nequit. Si recte fit, eum circa quingentesimum p. Chr. n. annum fuisse putandum est (V, 9, 25 Walz Porphyrius laudatur). Quid de huius Sopatri moribus, indole, studiis, genere scribendi ex operibus liceat concludere, postea videbimus. Nunc iam ad ipsam, de qua agitur, quaestionem accedentes ab eclogis denuo repetamus. Oportebit quam diligentissime unumquidque examinetur, ex quo de auctore aliquid possit evinci. Primum spectemus, num sit, cur posteriori Sopatro ille liber vindicari possit. Ego vero ne minimam quidem causam invenire possum, quae ad eum nos deleget, nihil omnino, quod paululum tantummodo ei faveat. Quapropter prorsus perverse eos iudicare censeo, qui nihilo secius auctorem huncce esse ducunt. Unum saltem sibi videntur afferre posse, ut opinionem defendant, idque Suidae testimonium. At

tamen hic quidem plane lubricam ingrediuntur viam, quam utinam ne ingressi essent. Contra si quis studuerit, ut priori Sopatro hoc opus restituendum esse nobis persuaderet, sane quae hoc verisimillimum reddant, haud pauca inveniet. Quare iam ea congeramus, quae aliquid momenti nobis habere videbantur in hac re diiudicanda. Singula deinceps enumerabo orsus a Suidae testimonio.

Etenim hic post eam, quam p. 59 exposui, glossam primum Sopatri comici nonnullos affert fabularum titulos; deinde haecce perhibet: *Σώπατρος Ἀπαμεύς, σοφιστής, ἢ μᾶλλον Ἀλεξανδρεύς. Ἐπιτομὰς πλείστων. τινὲς δὲ καὶ τὴν ἐκλογίαν* (sic codd., *ἐκλογὴν* Bernhardy; cfr. Phryn. ed. Lobek p. 531, Parerg. cp. 1, § 13) *τῶν ἱστοριῶν τούτου εἶναί φασι.* Hanc glossam, quam neglegentiore ac praepropera redigendi ratione ab superiore illa longe differre neminem fugiet (cfr. Bernhardii adnotationem), non ab ipso Suida, sed ab interpolatore aliquo in textum insertam esse inde certissime intellegitur, quod in optimo codice Parisino *A*, quem interpolationibus vacare constat, prorsus deest. Ex alio igitur atque quo Suidas utebatur, fonte defluxit. Praeterea verborum *Ἀπαμεύς, σοφιστής, ἢ μᾶλλον Ἀλεξανδρεύς* collocatio, quamquam similis alias quoque invenitur, tamen admirationem movet; cur iste interpolator non scripsit vel *Ἀπαμ. ἢ μᾶλλον Ἀλεξ., σοφιστής* vel *σοφ., Ἀπαμ., ἢ μᾶλλον Ἀλεξ.*? Huc accedit, quod ea ipsa verba *σοφ. — Ἀλεξ.* Eudocia p. 382 Vill. omnino omisit. Quadecausa haud scio an non nimii simus, cum ab altero interpolatore ea in hanc glossam intrusa esse coniciamus.*)

Iam si totam glossam spectamus, quaerendum est, nonne quid sit, quod ad rhetorem istum nos deleget, quem Athenis et didicisse et docuisse comperimus et cuius scripta prorsus nulla novimus nisi rhetorica. Neque vero est tale quid; quare per-

*) Docet igitur haec interpolatio fuisse memoriam aliquam, quae eum Sopatrum Apameensem, qui eclogas composuisset, aliqua coniunxit cum Alexandria. Quantum in ea veritatis insit, diiudicari nequit; sed reminiscaris velim in eclogis tria exscripta esse opera, quae ad Alexandriam vel ad Aegyptum pertinent: Aelii Dii *περὶ Ἀλεξανδρείας*, Hellanici *Αἰγυπτιακά*, Aristonici *περὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μουσείου*. Fortasse aliquamdiu ibi commoratus est Sopater, eodem loco, ubi Plotinum Ammonius Saccas Neoplatonicas docuit doctrinas.

peram mihi videntur ii facere, qui ad eum haec verba referunt, cum ne minimum quidem omnino habeant, quo nitantur in hac opinione comprobanda. Immo, si in altera glossa legimus Sopatrum quendam Apameensem composuisse eclogas, fieri nulla ratione potest, quin ei Sopatro hoc opus prius vindicemus, quem Apameae natum esse scimus, quam Atheniensi, cuius memoriae vestigia apud Suidam exstant nulla. Sed etiam longius fortasse licet procedere. Nempe notissima nobis est ea in Suidae glossario saepe adhibita ratio componendi, ut complura lemmata, quae tamen ad unam eandemque vel personam vel rem pertinent, non conglutinentur, sed deinceps adiungantur. Illustrissimum huius rei exemplum praebetur in antecedentibus verbis. Legitur primum: *Σώπατρος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Ἱππόλυτος κτλ.* Sequitur deinde quasi nova persona: *Σώπατρος πάρῳδος. τούτου ἐστὶ δρᾶμα Βακχίς, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.* Ne haec quidem glossa invenitur in Parisino *A*, quare interpolatori tribuenda est. Perperam vero hoc loco distinguitur inter duos Sopatros comicos, immo unus fuit re vera idemque. Non aliter de illis duobus lemmatis iudicandum esse opinor: certe non diversi fuerunt Sopatri, sed unus, Apameae natus, sophistes. Neque tamen ultra coniecturae licentiam licet progredi; plus contendere vetitum est. Id quidem pro certo constat Apameensem, non Atheniensem Sopatrum eclogarum auctorem fuisse.

Deinde quaeso animadvertas, cuius aetatis ei, quorum libri in eclogis Sopatri exscripti erant, auctores fuerint. Iam intellegas ne unum quidem fuisse supra trecentesimum p. Chr. n. annum, quo tempore priorem Sopatrum vitam degisse vidimus; immo omnium, quos adhibuit, aetate postremus Diogenes Laertius est, qui sub medium tertium saeculum floruit; infra hunc nullius mentio fit, quamquam ipso quinto saeculo et Proclus et Stobaeus chrestomathias composuerunt, quas Sopater rhetor haud scio an non neglexerit.

Saepius Photius, cum de librorum in his eclogis excerptorum argumentis iudicet, commemorat nimis multa mirabilia atque incredibilia in iis comportata esse: vel *οἷς παράδοξά τε καὶ ἀπίθανα μάλιστα ἔνεστιν εὑρεῖν* vel *μυθικά τε καὶ πλασματικὰ πολλὰ συλλέξας* vel in fine *πολλὴν δὲ τὴν χρείαν τοῦτο δὴ τὸ φιλοπόνημα τοῖς ἀναγινώσκουσι παρέχει· εἰ γὰρ καὶ μύθων καὶ τεράτων ψευ-*

δῶν τε καὶ ἀπιθάνων, ὥς μοι καὶ πολλάκις εἴρηται, οὐ καθαρεύει. Tantum abest, ut contendam talem indolem Sopatro sophistae propriam fuisse, ut, id quod permulti inde ab Alexandrinorum temporibus fecerunt paradoxographi, eum ipsum quoque populi studiis consuluisse mihi persuaserim, utpote qui talibus miraculis delectaretur. Tamen, si libero arbitrio hanc rem licet diiudicare, dubitari nullo modo potest, quin mystica caligine et apud aequales et apud posteros circumfusi magistri sapientissimo, qui miris et magicis viribus praeditus esse putabatur, discipulo talia miracula maiore iure tribuamus quam sobrio ac sicco scholastico, qui ultra opificis morosam atque fastidiosam artem assurgere nusquam ausus est. Quin vero huius rei indicium haud scio an depromere possimus ex titulo eius libri, cuius auctorem Sopatrum philosophum fuisse Suidas tradit. Etenim scripsit *περὶ Προνοίας καὶ τῶν παρὰ τὴν ἀξίαν εὐπραγούντων ἢ δυσπραγούντων.* Quamquam prorsus ad philosophiam hoc opus videtur spectasse, tamen optime talia congruere puto cum illorum scriptorum studiis atque deliciis, qui „versantur in enarrandis eis, quae praeter exspectationem acciderunt et admirationem movent“ (Westermann, Paradoxogr. Gr., praef. p. IX).

Apparet quoque ex hoc ipso libro, quem Suidas memorat, oblectationem Sopatrum philosophum cepisse ex vitis et casibus hominum contemplandis, quae ad fati vim videtur rettulisse. Verisimile est permulta exempla eum hoc loco perhibuisse hominum illustrium, quorum vitam divino quodam numine vel ad faustum vel ad infelicem exitum gubernatam esse vidit. Atqui reminiscamur, quantum spatium eclogarum auctor Plutarchi vitis et scriptis ethicis concesserit totam parallelarum vitarum seriem, quae exscribatur, dignam esse ratus. Iam igitur etiam in eiusmodi studiis biographicis hunc auctorem consentire statuendum est cum Neoplatonico isto philosopho.

Quodsi ipsius Plutarchi Chaeronensis opera tantam eclogarum partem occupant — quattuor omnino librorum plus minusve obtinent spatii —, certe non sine causa factum est facileque perspicitur, cum consideremus quasi praenuntium Neoplatonicae doctrinae fuisse Plutarchum, cuius scripta, quod ab ipsius Jamblichi discipulo studiosissime lectitabantur, nil habet miri. At contra longissime ab eiusmodi studiis abest Sopater rhetor, in cuius reliquiis cum Plutarchea, tum omnino philosophae eruditionis

vestigia quaerere prorsus inanis erit labor. Haudquaquam hic Plutarchi scriptis philosophis tantopere operam dedisset quantopere dedit eclogarum auctor. Semel tantummodo laudat vitam Alcibiadis (Walz, Rhet. Gr. VIII, p. 2, 7).

Sed cum hunc Sopatrum a philosophis studiis abhorrere animadvertamus, eclogarum auctor huius ipsius disciplinae studiosissimus videtur fuisse, quippe qui non solum Plutarchi scriptis indulserit, sed etiam Aristotelis opera adhibuerit et Diogenis Laertii vitas philosophorum. Quam egregie talis ratio eius ac voluntas congruant cum Sopatri philosophi natura, vix pronuntiare opus est.

Quodsi vero quis putet alienum esse a philosophi indole eclogas conscribere, hunc liceat delegare primum ad Damascium, ultimum illum Neoplatonicae scholae Atheniensis magistrum, quem Photius Bibl. cod. 130 (p. 96 b 37 Bekk.) tradit paradoxographica scripsisse, *„ἐν οἷς ἅπασιν ἀδύνατά τε καὶ ἀπίθανα καὶ κακόπλαστα τερατολογήματα καὶ μωρά κτλ.“*, cfr. Paradoxogr. Gr. ed. Westermann, praef. p. XXIX. Deinde reminiscaris quaeso Procli Diadochi Chrestomathiae grammaticae, quam rursus Photius excerpsit Bibl. cod. 239 (p. 318 b 22 Bekk.).

Sopatri rhetoris nullas habemus reliquias nisi rhetoricas; nullum exstat indicium unquam eum aliis studiis se dedidisse; in arte rhetorica igitur si non omnem, at tamen principalem posuit operam et curam. Quantum autem ab his studiis distat eclogarum argumentum, in quibus ne minimum quidem prodit auctorem fuisse rhetoricae doctrinae magistrum. Ne opposueris mihi Photii verba (p. 104 a 10 Bekk.): *πρός τε τὸ ῥητορεύειν καὶ σοφιστεύειν (ὡς καὶ αὐτός τοῖς ἑταίροις γράφων προοιμιάζεται) οὐκ ἐλαχίστην φέρει ῥοπήν.* Haec prorsus alia res est. Hausisse enim illius aetatis rhetores sophistasque ex talibus chrestomathiis consentaneum est. Sopatrum vero philosophum oratoriae arti non frustra studuisse sequitur ex Eunapii verbis *ἀνὴρ εἰπεῖν τε καὶ γράψαι δεινότατος.* Quin etiam magister eius Iamblichus, cuius „*θρέμμα*“ Sopatrum fuisse supra audivimus, scientiae bene dicendi videtur operam dedisse; scripsit *περὶ κρίσεως ἀρίστου λόγου* (Maxim. Planud. in Hermog., Walz, Rhet. Gr. V, 443). Tamen in eclogis plane desunt, quae ad technographi studia atque indolem possint spectare.

Eadem ratio etiam contra valet. Eorum enim scriptorum, quos eclogarum auctor adhibuit, ne minima quidem invenitur scientia in Sopatri rhetoris libris relictis una Plutarchi vita, quam memoravi, excepta. Omnino perpauca hic videtur legisse, quae non ad ipsam rhetoricam disciplinam pertinent. Paradoxographicorum vero et miraculorum studio prorsus „καθαρεύει". Penitus abhorruit ab omni ficto et fabuloso arida eius ieiunaque natura.

Cohaeret cum tanta totius indolis differentia generis quoque scribendi diversitas. Eclogarum enim auctor quomodo scripserit, brevissime memorat Photius (p. 105 a 13 Bekk.): *ἡ δὲ φράσις αὐτῷ ποικίλη καὶ οὐ μία τὴν ἰδέαν, εἰ καὶ διὰ πάσης τὸ σαφὲς ὥδευεν.* Quam vero nihil cadant haec proprietates in lentissimum eum atque oratorio ornatu plane carentem stilum, quo in conscribendis rhetoricis praeceptis posterior Sopater usus est, statim percipiet, quemquem huius orationis languentissimus atque semper aequabilis cursus unquam taeduit.

Denique exstat fortasse vestigium, cuius auxilio de patria eclogarum auctoris licet aliquantulum conicere. In duodecimo libro afferuntur Aristotelis *πολιτεῖαι* nonnullae eaeque Thessalorum, Achaeorum, Pariorum, Lyciorum, Chiorum. Quoniam autem supra vidimus rhetorem Sopatrum permultum tempus Athenis esse versatum, nonne veri dissimillimum esset eum Atheniensium vel finitimas res publicas prorsus praeterisse? Contra trium, quae magis ad orientem spectant, civitatum formae afferuntur; qua de causa nonne rectius Asianum quam Atheniensem auctorem esse iudicabimus? Tamen cave nimis confidas huic coniecturae; sane fieri potest, ut propterea tantummodo illas quinque „res publicas" adhibuerit, quia ceterae ei praesto non fuerunt. Eiusdem fortasse causae ratio habenda est, siquis in eclogarum libro sexto quaerit, cur ex Diogene Laertio Sopater eos ipsos libros (1, 5, 9, 10) excerpserit.

De universa vero eclogarum aetate haecce mihi videntur observanda esse. Veri non dissimile esse supra dixi (p. 64 adn.) Alexandriae congestas esse has eclogas. Sin recte hoc collegimus, fieri vix potest, ut quinto vel sexto saeculo eas vindicemus. Etenim constat Alexandriae litteras atque studia imprimis quarto p. Chr. n. saeculo floruisse. Sed postquam anno 391 Serapidis

templo iussu Theodosii principis exciso bibliotheca interiit, rapidus litterarum regressus apparere coepit. Quare non ita facile credi posset tam sero has eclogas ortas esse, quarum auctori certe bibliothecam satis copiosam praesto fuisse putandum est. Quae res nos permovet, ut ad antiqua tempora propius haec excerpta admoveamus; eandem rationem inibit, quicumque exscriptorum auctorum seriem libere perlustravit. Statim admirationem affert, quot obscuriores singularesque scriptores Sopater excerpserit, qui — quorum quidem tempora novimus — satis vetustae aetatis sunt (cfr. supra p. 57—59). Itaque haud scio an non usque ad quintum vel sextum p. Chr. n. saeculum eorum opera servata sint; certe multo prius interierunt. Qua de causa cui iam dubium est, quin, cum nihil de auctore quaeramus, circa trecentesimum annum (i. e. non ita multum post Diogenis Laertii aetatem, cfr. p. 65) maiore iure eclogas ortas esse statuamus quam duobus saeculis post.

Sed haec hactenus. Iam relinquitur, ut, quae ex hac disputatione efficiuntur, breviter comprehendam:

1) Sopatro rhetori has eclogas adscribendas esse non solum nullo testimonio defenditur, verum etiam gravissimas ob causas prorsus negari potest.

2) Immo vero constat primum Apameensem fuisse auctorem, deinde in philosophorum numero eum putandum esse, tum a tertii p. Chr. n. saeculi fine initiove quarti aetatem eius non ita longe afuisse. Quae res probabilem reddunt eam opinionem, quae discipulo Jamblichi philosophi, Constantini Magni familiari eclogas vindicare velit,*) id quod ideo admodum probatur, quoniam sane fieri posse negari nequit, ut ipsius Suidae testimonio affirmetur (cfr. supra p. 64/65).

---

*) Dixerit quis etiam minorem illum Sopatrum Apameensem, quem filium philosophi fuisse supra coniecimus (p. 61/62 adn.), spectandum esse, quippe de quo Seeck (d. Briefe d. Liban., p. 279) notaret: „er scheint philosophische Schriften verfaßt zu haben". At vero dubito an non ex ep. 1072 hoc eruere liceat.

Conspectus.

Vita.

Natus sum Fridericus Focke in Guestphaliae oppidulo, cui nomen est Lengerich, prid. Kal. Mart. a. 1890 patre Julio, matre Luisa e gente Stoppenbrink. Fidem profiteor evangelicam. Anni 1904 autumno pater carissimus repentina morte mihi abreptus est.

Primis litterarum elementis imbutus patriae scholam, cui rector praeerat, per tres annos frequentavi. Vere anni 1902 in scholam regiam Portensem receptus sum, cuius alumnus fui per sex annos. Tutor mihi erat benevolentissimus Paulus Flemming; magistros omnes, qui in litteris me adiuverunt, grata mente colere nunquam desinam, praecipue vero eius doctrinae, qua Christianus Muff † et Gustavus Kettner auctores mihi fuerunt, ut litterarum et antiquarum et germanicarum studio atque amore penitus tenerer, piam memoriam usque retinebo. — Vere anni 1908 maturitatis testimonium assecutus Gryphiam me contuli, ubi per duos annos litteris philologicis operam darem; deinde senos menses Monasterii versatus sum ac Berolini, unde vere anni 1911 Monasterium reverti. Docuerunt me viri doctissimi:

Gryphiae: Bickel, Ehrismann, Gercke, Heller, Hosius, Mewaldt, cui gratiam semper habebo sinceram, quippe qui non solum ad Plutarchea studia me delegaverit libentissimusque mihi fuerit adiutor, sed etiam, ut ipsius domestico usu fruerer, benigne mihi permisit, Pernice, Rehmke, Alex. Reifferscheid †, Schoene, Semrau, Zupitza.

Berolini: Dessoir, Diels, Drescher, Geiger, R. M. Meyer, Norden, Roethe, E. Schmidt, Guil. Schulze, Vahlen †, Wagner, de Wilamowitz-Moellendorff.

Monasterii: Cauer, Ehrenberg, Hoffmann, Jostes, Koepp, Kroll, Münscher, Schwering, Sonnenburg, Spicker.

Gryphiae sex menses sodalis fui proseminarii philologici, per unum annum seminarii B moderantibus vv. dd. Hosius et Bickel, Gercke et Mewaldt, unum semestre seminarii A regentibus vv. dd. Hosius et Schoene. Seminarii Berolinensis sodalis fui extraordinarius moderantibus vv. dd. Diels, Vahlen †, de Wilamowitz-Moellendorff. Denique Monasteriensi, ut per bis sex menses interessem, seminario mihi permiserunt vv. dd. Kroll, Münscher, Sonnenburg. Ad exercitationes me admiserunt hi vv. dd.: ad archaeologicas Pernice, ad grammaticas Hoffmann, Guil. Schulze, ad germanicas Jostes; in proseminarium germanicum me receperunt Ehrismann, Reifferscheid †, Roethe, in seminarium Schwering.

Examen rigorosum s. c. l. superavi a. d. IV. Id. Nov.

Omnibus, qui me docuerunt, gratias ago maximas, imprimis Guilelmo Kroll, cuius consilium et auctoritas in hac commentatione conficienda nunquam mihi defuit. Quantum ex seminarii, quibus ille praefuit, exercitationibus nec non ex eis scholis, quas de religione antiqua habuit, fructus perceperim atque oblectationis, memori corde semper servabo.

